

II
43986

CAFFOU
FELIX ANTONIUS
ET
CROBATH JOSEPHUS FRIDERICUS.

BREVES NOTITIAE BIOGRAPHICAE.

QUAS

COLLEGIT AC CONSCRIPSIT

STEPHANUS KOČIANČIČ.

GORITTE 1877

Typis Mailing. Ed. Auctor.

I. 2. d. 3

407

CAFFOU
FELIX ANTONIUS

ET

CROBATH JOSEPHUS FRIDERICUS.

BREVES NOTITIAE BIOGRAPHICAE,

QUAS

COLLEGIT AC CONSCRIPSIT

STEPHANUS KOCIANČIČ.

GORITIAE 1877

Typis Malling. Ed. Auctor.

II
43986



Praemonitio.

Quum mox ab anni hujus initio duo seniores nostri quondam in Seminario Centrali Goritensi Professores, Caffou et Crobath, senio confecti vallem istam lacrymarum reliquissent, cogitare coepi, ut sicuti praemature defuncti D.^{ris} Joannis Nep. Hrast, ita horum quoque duorum brevem conscriberem et publicarem biographiam. Conquisitis necessariis ad hoc documentis, quae hic benevolo lectori offero, litteris consignavi. Feci, quod pro tempore potui, non quod volui. Cogitabam quidem ista in Folio Periodico Archidioeceseos Goritensis publicare: cum vero hujusmodi publicatio et nimium protelaretur, et partes nimis ab invicem separatas et distractas exhiberet; ex altera vero parte, ut audivi, nonnulli anno adhuc currente notitias istas desiderent videre in publicum prolatas: ideo opusculum istud modo e prelo in lucem emissum est.

Scribebam die festo S. Mariae Magdalenae 1877.

Auctor.

Caffou Felix Antonius.

Quis e lectoribus non cognovit virum, cujus nomen hic in fronte scripti hujus posui? Nisi quod aliqui nomen *Felix* ei proprium fuisse forsitan nunc primum discunt, quia ipse Caffou nunquam aliter quam Antonium se subscribere solitus fuerit. Natus exeunte saeculo elapso decimo octavo, primis Januarii diebus currentis anni 1877. vita defunctus; inde ab anno 1824 professor theologiae moralis in Seminario centrali Goritiensi, charus praepositis suis, expetitus ab urbis nobilibus, omnibus omnia factus, si ita mihi loqui liceat, mille et ultra discipulorum magister; utique dignus est, ut breves vitae ipsius notitias biographicas colligamus ac lectoribus benevolis ob oculos ponamus.

Est locus in parte montana Archidioeceseos Goritiensis ad orientem, Circhina dictus, immediate contiguus Carnioliae Superiori, capitalis illius districtus, sedes Parochi et Decani Circhinensis, locus non inamoenus, in valle situs, quam flumen perenne, Cirknitza dictum, alluit, circumdatus collibus et montibus, agris, pratis atque silvis. Hic natus est die 14. Januarii anni 1799 *) Felix Antonius Caffou patre Stephano, et matre Catha-

*) Non 17. Januarii, ut alicubi legi.

rina, in domo ecclesiae parochiali loci contigua, atque mox baptizatus duo nomina sortitus est, ipse tamen neglecto priori nomine Felix semper Antonii tantum nomen sibi attribuebat, fors in memoriam Antonii Caffou, pii sacerdotis, patruī sui, de quo aliquando in familiaribus colloquiis saepius mentionem ingerere solitus erat, sicut etiam piaē aviae suae, quae tam stricte quadragesimale jejunium observabat, ut vel morti proxima nullo modo induci se passa sit, ut carnis jusculum gustaret. Domus Caffou Circhinae facile princeps totius pagi, imo regionis illius dicenda, et cultura, et opibus reliquas superans. Praeter sacerdotem memoratum, qui in ipsa domo habitabat, atque aviam, parentesque nostri Antonii aderant adhuc quatuor alii fratres, et duae sorores, e quibus Josepha adhucdum vivens Circhinae in paterna domo, nupta chirurgo loci est Wagentrutz dicto. E fratribus unus Josephus nomine in vicino inde loco Rauna uxore ducta propriam oeconomiam fundavit; unus qui Franciscus vocatur nescio quare, minus acceptus fratribus et parentibus ipsis, sat humili officio civili deditus aegre se suamque familiam sat numerosam sustentabat, nunc enim jam non vivit amplius; tertius, Joannes nomine, optimae indolis, theologiae operam navavit, atque anno 1843 obtento gradu doctoris Ss. Theologiae, Vindobonâ domum reversus, morbo hecticali consumptus obiit. Quartus, Aloysius dictus, scholis Goritiae absolutis, juridica studia amplexus, anno 1844 feriarum tempore domum reversus, una cum seniore suo fratre Raunensi Josepho infelicem finem vitae sortitus est. Consenso videlicet novo ponte, in loco Želinje supra flumine Cirkniza exstructo, cum pons

subito collaberetur, in isto sinistro casu ambo vitam amiserunt.

De caetero, quod attinet nomen familiae *Caffou* (Kafòl), quod et Čapovani, et Volzanae, et alibi quoque occurrit, fors est originis francogallicae. Hoc saltem certum est, quosdam Franco-gallos, quum nostra terra sub initium praesentis saeculi sub dominio esset Napoleonis I., admiratos fuisse, nomen *Caffou*, quod in Gallia meridionali frequens occurrit, in hisce quoque nostris montibus occurrere. Atque ego ipse, qui haec scribo, ex parte istud credo, postquam inveni, in lingua *Rumonsch* dicta, quam loquuntur homines in Rhaetiae partibus, vocabulum *cafoul* significare profundum = tief = globok; ut ergo nomen familiae *Caffou* idem sonet ac germanicum *Tiefmann*, vel slovenicum *Globočnik*.

Quod attinet parentes Felicis Antonii *Caffou*, pater Stephanus, novis encyclopaedistarum doctrinis ex parte imbutus erat, ita tamen, ut officiis suis qua christianus Catholicus non deesset; tempore occupationis francogallicae munere et officio sic dicti „Maire“ Circhinae fungebatur. Mater *Catharina* vero nulli cedebat in pietate et devotione, unde et religiosam filiorum educationem pro viribus curabat. Attamen primogenitum Felicem Antonium singulari prorsus dilectione prosequabatur tum pater, tum mater, atque satis delicate illum habuerunt, non facile quidquam ausi eidem denegare. Postquam itaque primis litterarum elementis imbutus esset a loci ludimagistro, *Idriam* puer circiter septennis missus, ut ibi scholas publicas frequentaret, delicatulus, uti erat, aegre assueferi poterat aliorum parere voluntati. Quapropter frequenter illorum annorum *Idriae* peractorum me-

moriam renovans, Deo gratias agebat, quod ibidem didicerit, sua posthabita, aliorum potius facere voluntatem quam suam. Decem circiter annorum puer, satis bene Idriae absolutis scholis, *Labacum* a patre perductus fuit, ut gymnasium frequentaret. Ibi mox infirmioris cum esset valetudinis, (scrophulis enim, ut dici solet, laborabat), in gravem incidit infirmitatem. Erat tunc temporis ibi Frater Faustus vulgo dictus, unus ex Fratibus Misericordiae, privatam agens vitam, et infirmos omnes ad se adventantes suis consiliis quo poterat modo adjuvans. Cum Francogalli scil. nostras terras occupassent (1809—1813) et hic dominarentur, tum plures conventus sustulerunt, tum Fratres Misericordiae curae infirmorum deditos e nosocomiis amoverunt, laicos substituentes. Hi expulsi Fratres deinde ubi et quo poterant modo vitam suam sustentabant. Ex istorum numero erat iste Frater Faustus, pius vir et devotus, qui ut a viris fide dignis, qui ipsi ejusdem consilia expetivere, audivi, unumquemque ad se adventantem in ecclesiam ducebat, ibi genuflexus Psalmum XC. *Qui habitat in adjutorio Altissimi* etc. recitabat, atque tum demum infirmum visitabat et salutaria dabat consilia.

Ad hunc noster Caffou a patre adductus, jubetur adire thermas in Carnioliâ inferiori, vulgo „Toplice“ dictas; quod et fecit, et quidem optimo successu. Unde semper in memoria retinebat istas thermas, et qua theologiae professor adhuc easdem adierat thermas in grati animi, ut dicebat, indicium. Illo quoque tempore, cum gymnasium Labaci frequentaret, atque anno 1811 ob aeris alieni magnitudinem fidem falleret solvendo impar Austria, factum est, ut ultimam notam de-

cem florenorum pro duobis vini sextariis expenderet.

Anno 1812, tredecim annos natus, primam humanitatis classem, ut tunc dicebatur, frequentabat, atque anno 1813 secundam. Erant tunc studia sub dominatione Francogallorum aliter ordinata, quam sub Austriae regimine. Quidam Gregorius Dolar videlicet erat professor primae humanitatis, et Valentinus Vodnik secundae, pro mathematica autem in utraque classe fuit M. Kalister, atque „Proviseur du Lycée de Laybac“ Josephus Walland erat *). Linguae francogallicae studium partem principalem in gymnasiis occupabat; inde quoque tum Caffou, tum Crobath linguae istius cognitionem repetebant. Cum itaque anno 1814 expulsis Francogallis Austriaci iterum has nostras occupassent terras, scholas quoque modo suo restaurarunt; sicque factum est, ut Caffou, qui anno 1813 jam secundam humanitatis classem secundum methodum francogallorum satis bene absolverat, anno 1814 eandem classem secundum Austriae methodum frequentare cogeretur, sub professoribus Francisco Debelak, et Francisco Peesenegger **) atque catecheta Urbano Jerin, praefecto vero gymnasii Francisco Hladnik. Ita demum anno 1815 primum philosophiae cursum, uti tunc septima vocabatur classis, ingredi potuit; hocque eodem anno etiam disciplinam didacticam frequentabat, quo idoneus evaderet alios discipulos instruere, quam docebat Joannes Eggenberger.

*) Ex illo tempore Jos. Walland nostrum Felicem Antonium Caffou novit et amare coepit.

**) Iste idem Peesenegger fuit serius Praefectus Gymnasii academici Goritiensis, et qua talis Goritiae extremum vitae diem clausit.

Anno sequenti vero 1816 secundum philosophiae cursum, vel physicam vulgo dictam frequentavit, quo tempore Matthaeus Raunicher *) studii philosophici director erat provisorius. Sicque factum est, ut duodeviginti annos natus, anno 1817 in eadem urbe Labacensi ad theologiae studium transierit. Nostri enim adolescentes quum Goritiae tunc nec philosophica, nec theologica haberentur studia, alii Labaci, alii Clanfurti, alii Gracii, seu Vindobonae scholas frequentare coacti erant. Ut plurimum Labaci, tamquam loco propiori, manebant, atque unus e Canonicis Labacensibus studiosos theologiae Goritienses, qui qua externi scholas ibi frequentabant, sub sua habebat inspectione. Etiam secundum theologiae annum adhuc Labaci transegit Caffou, anno 1818. Professores ejus ibi erant Georgius Doliner histor. eccles. et juris ecclesiastici, et Dr. J. Supan, qua professor studii biblici Veteris Foederis, atque Urbanus Jerin Novi Foederis. Eodem anno 1818 porro etiam *philologiae slavicae* operam dedit, atque ex ea classem retulit eminenter primam, ut testimonium testatur, a Francisco Metelko eidem exhibitum.

Dum haec ita se haberent, in locum Episcopi Goritiensis, Francisci Comitis ab Inzaghi, in proVectissima aetate defuncti, Josephus Walland Episcopus Goritiae evasit, eademque occasione etiam tum studia philosophica, tum theologica Goritiae iterum introducta fuerunt, quae partim jussu Josephi II. imperatoris, partim injuria temporum turbulentorum, quae exeunte 18. et ineunte 19. saec. labebantur, cessaverant. Seminarium, illucque a militibus occupatum, pristinae suae destina-

*) Qui qua Episcopus Tergestinus 1845 obiit.

tioni restitutum et restauratum, sub finem anni 1818 iterum theologiae studiosis apertum, sicque factum est, ut etiam noster Caffou non amplius Labacum peteret ad studia theologica continuanda, sed Goritiam commigraret, ubi anno 1819 theologiam dogmaticam docebat provisorie Bartholomaeus Arco, et theologiam moralem Josephus Pokluker; sequenti vero anno 1820 sub professore Josepho Stibiel *) theologiae pastorali operam dedit, quo anno simul praelectiones Antonii Peteani e lingua arabica, e qua classem primam cum eminentia retulit, frequentavit. Cum enim esset Episcopo suo Josepho Walland inde a tempore optime notus, quo Labaci scholas frequentabat, ut jam observavimus, suaque externa forma non minus, quam conversandi modo ac studiis eidem se commendasset; deinde, quia professoribus theologiae opus erat in neoerecto instituto theologico Goritiensi, in quo ab initio ferme omnes tantum provisorie cathedras occupabant, et Felix Antonius Caffou annos natus viginti unum, etsi jam absoluto theologiae cursu ad sacros ordines promoveri nondum poterat: Episcopus eum Vindobonam abire jussit in institutum sublimius ad S. Augustinum, ut ibi studia sua theologica continuaret, doctoris in Ss. theologia gradum acquireret, sicque suo tempore qua professor in Goritiae Seminario docere posset. Statim igitur Vindobonam abiit mensibus ferialibus Septembri et Octobri 1820**), atque mox primo

*) Iste est ille Josephus Stibiel, qui inde evasit parochus et decanus Cernicensis et ultimo qua parochus decanus Lucinicensis anno 1848 mortuus est, cujusque biographiam slovenico idiomate conscriptam anno 1853. typis Paternollianis edidi.

**) Nihil sub sole novum. Viennam abiturus Caffou, animarum curatum in Novake, Scolaris dictum, invisit vale ei di-

anno 1821 praelectiones Andreae Oberleitner e lingua Aramaica, sive Syro-Chaldaica, atque Exegesis biblicam frequentavit.

Hic jam ipsissima verba adducam Episcopi Walland ad Felicem Antonium Caffou Vindobonam scripta, e quibus et singularis amor, quo eum prosequeretur, elucet, nec non, nostrum Caffou unum examen rigorosum e theologia morali feliciter subiisse. Anno nimirum 1822 illud subiit, cum Episcopus eidem die 20. Decembris 1822 scripsit: „Ich hoffe bald zu hören, dass Sie abermal ein Rigorosum bestanden haben.“ Eodem anno 1822, completo vicesimo tertio aetatis anno, obtento titulo mensae die 17. Januarii 1822, Viennae ordinatus fuit mense Februarii Sacerdos, ubi et primum missae sacrificium Deo obtulit. De secundo vero rigoroso examine, quod ibidem subiverit, nulum invenio vestigium. Cum enim tum educatione duorum e Peruana regione indigenarum Vindobonam adductorum, tum quamplurimis aliis occupationibus continuo distraheretur, sufficiens tempus pro studiis ei deerat. Ex alia parte probe noverat, intra non longum tempus se Goritiam revocandum, ad cathedram aliquam occupandam, unde suo Episcopo in hoc sensu scripsisse videtur. Nam Episcopus Walland eidem die 26. Aprilis 1823. ita scripsit: „Sie besorgen, Ihre Doctorirung dürfte zu lang hergehen, und äussern dadurch wenigstens den geheimen Wunsch, früher irgendwo verwendet zu werden. Eben derzeit ergibt sich eine Gelegenheit hiezu. Durch Beförderung des Herrn Professors der Mo-

cturus. Scolaris pallium suum vetustate jam multum tritum eidem donavit, ut in itinere haberet, quo frigus imprimis nocturnum arceret. Erat vero forma pallii ea, quam habet vulgo dicta „grega“ nuperrime adhuc apud nos gestari solita,

raltheologie Joseph Pokluker ist diese Lehrkanzel an der hiesigen theologischen Seminarsanstalt erlediget; die Fragen zur konkursartigen Prüfung dafür sind von der hohen Studienhofcommission bereits hieher eingelangt. Sie sind freylich ein bisschen jung, und haben in der Seelsorge noch wenig praktizirt; allein Sie haben aus diesem Gegenstande die strenge Prüfung schon bestanden, und ich entbehre bey dem sehr fühlbaren Mangel an Seelsorgern schwer einen andern in der Seelsorge schon angestellten Priester; ich würde Sie also zu dieser konkursartigen Prüfung auffordern, und die hohe Studienhofcommission ersuchen, dass Hochselbe ein Paar der hereingeschickten Konkursfragen entweder der Direction des höheren Bildungsinstitutes, oder der dortigen theologischen Direction mittheilete, damit Sie am nähmlichen noch zu bestimmenden Tage, an welchem die Prüfung etwa hier vorgenommen werden wird, selbe auch dort machen könnten.“ Atque ita etiam revera factum est; cum vero quaestio ista de occupanda cathedra theologiae moralis in Seminario Goritiae diutius protraheretur, videtur Caffou datis litteris suum Episcopum interrogasse causam dilationis hujus; Walland enim eidem 26. Decembris 1823 inter alia sic rescripsit: „Von der Besetzung der Lehrkanzel der Moralthologie an der hiesigen Seminarslehranstalt weiss ich gar nichts. Der thätige Herr Professor Peteani supplirt geduldig fort.“ Ast sub die 23. Februarii 1824 sequentia ei scripsit: „Die zwey Konkurrenten*) ha-

*) Examen concursuale pro obtinenda cathedra theologiae moralis in instituto theologico Goritensi die 17. Julii 1823 Goritiae locum habuit, quod subivit Joannes Evang. Mosetizh, eodemque die Vindobonae Caffou Antonius. Cum deinde Caffou ad oc-

ben nebst dem Gebrechen der Jugendlichkeit auch andere Mängel und zu wenig Gründlichkeit, und Sie insbesondere Unsicherheit im mündlichen Vortrage veroffenbaret....Ich habe an das kündenländische Gubernium die Vorstellung gemacht, damit Sie als der zur Übernahme dieses Lehramtes am meisten Vorbereitete aus dem höhern geistlichen Bildungsinstitute entlassen, und hieher zur provisorischen Versehung dieser Kanzel heimgeschickt würden, wo Sie sodann, nachdem Sie durch einige Zeit sich im Lehramte praktisch werden geübt haben, sich einer neuerlichen konkursartigen Prüfung zu unterziehen hätten“. — Sic votis potitus Caffou*) Vindobonâ Goritiam reversus, die 23. Aprilis ejusdem anni 1824 cathedram theologiae moralis conscendit, assignato eidem mox, etiam qua provisorio professori, integro annuo salario 600 fl. M. C. sub conditione, ut expleto anno provisorio alterum examen concursus subiret (Decret. Ordin. Gorit. 3. Maji 1824.). Examine tandem isto facto, a die 15. Fe-

cupandam cathedram dictam vocaretur, Mosestizh, qui tunc Cooperator fuit Parochi S. Ignatii in urbe, Viennam ab Episcopo missus fuit; sed ipse quoque ante absolutionem studiorum postea revocatus professor studii biblici Veteris Foederis et Linguarum Orientalium factus, anno 1846 Americam septentrionalem petiit, 1850 reversus, post varias occupationes tandem Canonicus Ecclesiae Metropolitanae factus, qua Decanus Capituli infulatus Goritiae obiit.

*) Fridericus Baraga, ante quosdam annos qua Episcopus in America septentrionali mortuus, tunc temporis Viennae studiis juridicis operam dabat, sic volente patre; nam ipse Baraga statum clericalem amplecti desiderabat, unde nostrum Caffou, quem adhuc ex urbe Labaco cognoscebat, Viennae in instituto ad St. Augustinum agentem frequens adibat. Mortuo patre Baraga revera statim ad theologiam se contulit.

bruarii 1826 qua professor fungebatur usque ad finem anni scholastici 1870, quasi quadraginta quatuor annis, quibus feliciter expletis, pensione annua 840 fl. v. a. donatus, inde a primo Novembris 1870 cathedram moralis theologiae successori D.ri Eugenio Carolo Valussio cessit. Docebat vero moralem theologiam sequendo auctorem Reyberger, qui tunc pro scholis praescriptus erat; postea a studiorum commissione aulica dd. 22. Julii 1826. N. 2452 Schenkl ei suffectus fuit; ab anno 1831. vero Compendium Stapf assumendum.

Agebatur vero anno 1824 de occupanda cathedra philosophiae theoreticae et practicae in c. r. Lycaeo Goritiensi, et quia non facile inveniebatur, qui eam occuparet, noster Caffou sese exhibuit, ut eam interim provisorie conscenderet. Invenio nimirum inter documenta varia ipsum respicientia, quae post ejus mortem mihi R. mus Parochus ad S. Ignatii, et Canonicus honorarius, Joannes Cumar, inspicienda benigne concessit, etiam unum, de die 24. Aprilis 1824, in quo dicitur, quod „Anton Caffou als Supplent der theoretischen und praktischen Philosophie v o r g e m e r k t sei.“ Attamen demum anno 1828, quia Antonius Giuriceo ad philosophiam docendam se exhibuerat, quam et revera (latino idiomate) docuit usque ad hunc annum; non multo post enim Consiliarius Gubern. Jaderae nominatus et demum Episcopus Rhagusinus evasit; illam cathedram modo provisorio conscendit, quam toto secundo semestri dicti anni, et posthac annis 1829, 1830 ac 1831, nondum invento alio idoneo professore, eodem modo tenuit, donec tandem die 9. Februarii 1832 Franciscus nobilis de Stronsky illam definitive obtinuit. Inter philosophiae auditores, nostri Caffou discipulos nominamus R. mum

Principem Episcopum Gurcensem, D. D. Valentinum Wiery, et Equitem D. rem Aloysium Visini, consiliarium aulicum, Goritiensem, qui nunc jam pensione donatus, a publicis occupationibus quietam inter nos agit vitam. Quod autem dixi, tamdiu alium idoneum professorem philosophiae inventum non fuisse, ratio haecce fuit: usque ad annum 1826 omnes disciplinae philosophicae latino idiomate pertractabantur, a dicto anno 1826 vero idiomate germanico doceri jubebantur; sic itaque factum est, ut non facile inventi sint viri, qui quod latine didicerant, nunc statim germanice docere parati essent. Facile credimus, Antonium Caffou illis quatuor annis, quum praeter cathedram theologiae moralis, ergo hebdomadatim novem horas, etiam philosophiam in Lycaeo, octo horas qualibet hebdomade doceret, occupatissimum fuisse, nec miramur, sub finem coepisse infirmari, ut ex ipsius adhuc viventis ore me audivisse recorder. Quodsi adhuc diutius protracta fuisset illa dietae cathedrae provisio, forsitan incruduisset morbus; ita vero, sublata infirmitatis causa, cum juventutis robore vigeret (annorum enim 33 tunc erat), intra breve perfecte recreatus est. Etiam theologiam dogmaticam, cujus cathedram Petrus Gorjup*) tunc occupabat, ille idem, qui serius Parochus Ajellensis evasit, cum infirmitate prohibitus ipse praelectiones habere non posset, toto uno Semestri ejus loco provisorio modo docuit.

Ex quo professor evasit, vix viginti quinque annos natus, tum corporis forma, tum affabilitate et officiositate singulari, qua se prae aliis distin-

*) Inde ab anno 1819 professor theologiae dogmaticae, ex-
eunte anno scholastico 1828 Parochus Ajellensis factus.

guebat, tum quoque, quia Episcopo suo charus fuit inter paucos, mox quoque aditus ei in omnes inprimis patritiorum familias patebat. Unus ex illis erat Jacobus Franciscus Trombetti Goritianus, Consiliarius aulicus, qui nostrum Caffou magni aestimabat. Duae illius epistolae, altera dd. 27. Octobris 1830, Veronae scripta, et altera dd. 29. Novembris ejusdem anni 1830 adhuc conservatae testantur, quanti illum habuerit. Etiam domui nobilissimae de Bosizio semper charus fuit et addictus valde. Verum de relationibus ejus ad aristocraticos inferius adhuc aliqua dicturi sumus. Et quia tum in, tum extra ecclesiam, ubi occasio se offerebat, promptus semper erat atque studiosus aliorum justas adimplere voluntates, multo tempore non tantum Parochum S. Ignatii in defectu cooperatorum fideliter juvabat, Missas celebrando, sermones idiomate germanico recitando, praecipue quadragesimali tempore*), fidelium confessiones audiendo; sed etiam nobilium, ante omnia vix non omnium matronarum Goritiensium praedilectus fuit confessarius. Dici quoque vix potest, quam fuerit acceptus Episcopo Walland, ad quem ferme quotidie veniebat, inprimis in adjacentem palatio Episcopali hortum, cum id temporis serenitas permetteret. Sciverat se insinuare etiam apud piae memoriae Archiepiscopum Franc. Xav. Luschin, uti non minus apud Excellentissimum Archipraesulem, qui modo istam Archidioecesin sapientissime gubernat et regit, quibus semper charus fuit et acceptus usque ad suum obitum. Quapropter etiam cum Petrus Filley Canonicus Ecclesiae Metropoli-

*) Slovenice, uti ex ejus ore audivi, aliquando Circhinae, in sua patria, tempore feriarum autumnalium sermones ad populum fidelem habuit.

tanae Goritiensis et Director Seminarii centralis ob provectam aetatem suam Seminarii directionem reliquisset, et Josephus Crobath, professor studii biblici novi foederis eandem acceptare detrectasset, Felix Antonius Caffou Seminarii Director constitutus fuit Ordinariatus decreto 14. Octobris 1848, manens simul professor theologiae moralis. Omnes Directores nostri Seminarii, uti fuerunt: Philippig Andreas, Budin Petrus, et Filley Petrus, ejusdem antecessores, fuere canonici; iste primus Seminarii Rector demum anno 1857, proponente Rmo. et Excellmo. Archiepiscopo Gollmayr, Canonicus ad honores evasit, postquam anno jam 1855, inde a die 25. Octobris nominatus fuit Consiliarius Consistorialis effectivus. — Non est reticendum, eum aliquandiu annis junioribus a librariis, ni fallor, Viennensibus pro omni petente vel professore vel studente theologiae libros recepisse, sed quia nimis bonus erat, illos etiam non soluto statim pretio illis dabat, sicque vel ob oblivionem, vel aliam ob causam, pro eis solutionem non semper recipiebat. Quia hoc modo detrimentum non medicum patiebatur, tandem hoc negotium dimisit. Libros quoque saepe mutuo dabat, quos numquam amplius restitutos recipiebat.

Quid tempore undecim annorum, quibus Seminarium regebat, egerit in bonum hujus instituti, jam alibi, nimirum in mea „historia Seminarii centralis Goritiensis“ *) enarravi, unde hic silentio praeterire possum; quia vero pauciores e nostratibus illud Folium tenent, hic iisdem ferme verbis

*) Videsis Folium dioecesis. Tergestinum de anno 1869. pag. 56. seq.

repetere volo, scilicet: „Quum Antonius Caffou Seminarii gubernacula capessivisset, ut in foro, ita et in Seminario tempora fuere nubila. Emolumenta enim Seminarii non parva ceperunt detrimenta. Tribuebantur enim hucusque pro uniuscujusque alumni sustentatione ducenti floreni; ab anno vero 1849 nonnisi centum sexaginta floreni pro singulis subministrari coeperunt. Quanta exinde Seminarii administratori difficultas excreverit, facile intelliget, qui perpenderit temporum injurias, et imprimis rerum venalium, praecipue vero earum, quae parandae mensae inserviunt, ultra modum adauctum esse pretium. Medicina morbo facilius esset parata, si alumni magno semper numero in Seminario affuissent,“ uti erant anno 1848 centum, 1849 nonaginta novem, et adhuc 1850 nonaginta; „verum enim vero labentibus hisce temporibus tum pauciores tirones ad limina theologiae accedebant*), tum agente Episcopo Tergestino ac Justinopolitano Bartholomaeo Legat Excelsum Ministerium Cultus et publicae Institutionis rescripto dd. 28. Septembris 1849. N.o 288. assensit, ut Tergesti proprium Seminarium pro alumnis quarti theologiae anni aperiretur, atque in ejus sustentationem converterentur stipendia urbis Tergestinae theologiae alumnis conferenda, nec non alumnaticum unitarum dioeceseon Tergestinae ac Justinopolitanae. Facile ergo patebit, ferme quotannis sumptus proventibus fuisse majores“. Quot curas et sollicitudines hujusmodi rerum conditio Directori causaverit, facile quilibet videt. Ad ipsius itaque instantem petitionem canon uniuscujusque alumni ad centum octo-

*) Jam anno 1851 soli octoginta tres alumni fuerunt Seminarii, 1852 octoginta unus, 1853 tantum septuaginta septem; anno vero 1858 sexaginta septem, et 1859 sexaginta quatuor aderant.

ginta florenos excrevit; at nonnisi sub finem anni 1864, cum Caffou jam Seminarii Rector amplius non esset, agente et instante provido Archiepiscopo nostro, prior dotatio florenorum 200 M. C. sive fl. 210 V. A. tribui coepit. Hoc pro certo asserere possum, (commensalis enim ejus fui omnibus illis undecim annis, et contubernalis), Antonium Caffou de suo proprio peculio saepe aliquid contulisse, ut ipsius curae commissi alumni nulla re necessaria indigerent, quando videlicet alio modo eisdem providere non poterat.

Non solum pro corporali salute alumnorum tantam gessit curam Director Caffou, sed etiam pro ecclesia Seminarii et cultu divino in eadem pro viribus promovendo non communem gessit sollicitudinem. Desiderante Spirituali, ut effigies Beatissimae Virginis Immaculatae, ad augendam et promovendam devotionem alumnorum Seminarii in Oratorio constitueretur, Caffou votis ejus satisfactorius, a pictore Josepho Tominz familiam sacram ita depingi curavit, ut imago Mariae Virginis cum suo divino pusione principaliter in oculos spectantium insiliret. Uti mihi dictum fuit, floreni 225 pro isto opere expensi fuerunt. Imago haec nunc visitur supra altare ecclesiae Seminarii collocata. Cum enim anno 1851 professorum theologiae salaria, quae illucusque sexcentis florenis M. C. circumscribebantur, ad florenos octingentos excrevisent, Antonius Caffou collegis professoribus propositionem fecit, ut Deo pro beneficio isto sibi collato gratum exhiberent animum, aliquid conferendi, ut in usum ecclesiae Seminarii paramenta rubri coloris, videlicet Casula, Dalmatica, Tunicella et Pluviale emi possint. Collati sunt itaque revera circiter ducenti floreni, atque dicta paramenta hoc

modo fuerunt comparata. His nondum erat contentus Caffou; anno sequenti 1852 nova magis decentia scamna loco priorum pro eadem ecclesia confecta sunt, pro quibus Director Caffou summam ducentorum et amplius florenorum a piae memoriae Archiepiscopo Francisco Xaverio Luschin accepit; utique Directoris Caffou meritum istud quoque dicendum, nam nonnisi ipso suaviter suggerente dicta summa obtenta fuit.

Curae et sollicitudines pro domo sibi commissa, Seminario nimirum, auctae sunt, cum Vice-Rector et Oeconomus Seminarii, Jacobus Franzot, die 24. Januarii 1854 apoplexia tactus fuit; nam ab illo die etiam onus oeconomiae totum ipsius humeris impositum erat, neque multum fuit alleviatum, cum Franciscus Pečenko die 10. Martii ejusdem anni Seminarii Oeconomus evasisset.

Erat illucusque Antonius Caffou nulla alia re distinctus a quocumque etiam simplicissimo Sacerdote, etsi triginta annorum decursu tot et tanta jam praestitisset. Cum itaque amatissimus noster Archiepiscopus, Rmus et Excellmus D.D. Andreas Gollmayr mense Junio 1855 Goritiam advenisset, omnino dignum censuit, Directorem Seminarii Antonium Caffou aliqua ratione honorari debere; ideo eum decreto 25. Octobris 1855 inter Consiliarios suos Consistoriales effectivos retulit, una cum duobus aliis professoribus theologiae senioribus, nempe Josepho Crobath et Jacobo Stibiel. Et quamprimum fieri potuit, etiam Canonicum honorarium Ecclesiae Metropolitanae Goritiensis (27. Julii 1857) nominari curavit, prout jam superius meminimus.

Quia vero jam sexagesimus vitae annus appropinquabat, atque gravissimis fungentem muneribus multi opprimebant labores variaeque exerce-

bant curae et sollicitudines atque molestiae, Rmuni. Archiepiscopum die 20. Aprilis 1858 calamo rogavit, ut onus, quod exeunte Octobri 1848 humeris ejus impositum fuerat, lapsa ferme decennio tandem adimeretur. Precibus oblatis non sine mora, sed sub finem Octobris 1859 annuit Excellmus. Praesul, cum Joannem Budau, novum Ecclesiae Metropolitanae Canonicum, Rectorem Seminarii renuntiaret. — Antonium Caffou certe sollicitum tenuit Seminarii fervida cura, et in primis oeconomiae ejusdem; et re vera admirabilis est sapientissima Dei providentia, quae difficillimis oeconomiae temporibus Rectorem Seminario dedit bona ejus tanta solertia administrantem, quantam multi ne in suorum quidem bonorum administratione prae se ferunt; hinc meritis ejus Excelsum Litorale Gubernium decreto edito Terg. 10. Novembris 1859. dignissimas tribuit laudes. Quanti fecerit etiam noster Archiepiscopus Antonii Caffou labores in bonum Seminarii exantlatos, elucet e litteris Ejusdem dd. 24. Octobris 1859 ad eum datis, in quibus inter alia dicit: „Ich bedauere, dass Sie aus Gesundheitsrücksichten sich nicht entschliessen konnten, *eine Ihnen zgedachte auszeichnende Belohnung* Ihrer Bemühungen anzunehmen.“ Anno mox sequenti 1860 die 29. Julii nominatus fuit Commissarius Archiepiscopalis ad examina in instituto domestico Theologica, nec non septimae et octavae Classis Gymnasii in Conventu Franciscanorum Castagnavizzae, quod et permansit usque ad suum obitum; etiam tunc, quum expletis quadragintasex annis inde a tempore, quo cathedram theologiae moralis anno 1824 primum conscendat, atque aetatis vix non integris annis septuaginta duobus, annua pensione 840 florenorum, uti justum

erat, donatus cathedram suam suo successori D.^{ri} Eugenio Carolo Valussio cessisset, sicuti istud quoque jam superius dictum fuit.

Exinde a publicis muneribus remotus usque ad mortem, sex integris annis et ultra, privatam et quietam agebat vitam, quotidie mane in Ecclesia S. Ignatii immediate post primam Missam incruentum Deo sacrificium offerebat, et ad Litanias ac Benedictionem, uti loqui solemus, a meridie in eandem Ecclesiam adventabat. Omni dominica et die festo ad Missam solemnem in Ecclesia Metropolitana aderat, locum suum retinens immediate post altare majus, ut plurimum Horas officii divini recitans vel autem Rosarium Beatissimae Virginis Mariae. Ephemeridem Viennensem (Wiener-Zeitung) perlustrabat, a qua nunquam se separare voluit, frequens Archiepiscopum adibat, et omni Dominica ac festo die vespere in Castagnavizzam ascendebat, quolibet mane praeterea forum rerum venialium praeprimis ad mensam necessariorum visitabat, atque paucos adhuc ex praeteritis temporibus superstites amicos et notos salutabat, atque semper promptus erat, opere et consilio cuicumque eum adeunti subvenire. Sufficit ad hoc demonstrandum vel istud unicum factum adducere. Quum defuncto Archiepiscopo Francisco Xaverio Luschin negotia haereditatem ab eo relictam et varia legata spectantia in longum protraherentur, atque testamenti executor Canestrini sine temporis magnoque pecuniae dispendio Goritiae manere non posset: Caffou totum negotium suscepit ad finem usque perducendum. Hanc rem et aliunde novimus, eamque testantur aliquot epistolae superstites a modo jam defuncto Canestrini ad eum datae. Si loquacior, aut uti aliqui volunt, garrulus fuit, non tam ipsius, quam

aetatis provectae vitium fuit, si istud vitium dicere placeat. Extra refectionis tempus nec minimum quid manducabat vel bibebat.

Molestias ab haemorrhoidibus causari solitas longo annorum spatio patienter ferebat, et propria experientia doctus aliis, qui similibus molestiis subjacebant, prudentia consilia haud raro dabat. Ultimis tamen tribus vitae annis molestiae hujusmodi augebantur, atque post Pascha anni 1876 magis magisque viribus deficiebat, donec mense Novembri ac Decembri a sua infirmitate se amplius liberari posse desperaret. Ideo die duodecimo Decembris 1876 tribus idoneis testibus advocatis ultimam suam voluntatem litteris mandavit, sua propria manu subscripsit, atque a testibus praesentibus subscribi jussit; quo testamento haerodem universalem constituit Ecclesiam Parrochiam S. Ignatii Goritiae, in qua spatio quinquaginta duorum annorum (ab 1824 usque ad 1876) quotidie Missam celebraverat; modicum legatum ancillae, quae eidem fideliter ministraverat, destinavit, atque testamenti hujus executorem Parochum dictae Ecclesiae nominavit. His provide et debito tempore constitutis ac dispositis, cum festa natalitia Domini nostri illuxissent, senili marasmo cogente tandem domum custodire et paulo post in lecto decumbere debuit. Die prima Januarii ipse Excellentissimus Princeps et Archiepiscopus moribundum invisere dignatus est, qui omnibus sacramentis rite munitus*), die tertia Januarii

*) In Vigilia Nativitatis confessionem peregit apud Rmum D. Joannem Evang. Cumar Parochum ad St. Ignatii et Canonicum honorarium. Die prima Januarii 1877 Cooperator ad S. Ignatii, R. D. Franciscus Vidic sacrum Viaticum ei attulit, et die secunda Januarii vespere Extrema Unctio eidem administrata fuit,

1877 hora decima vespertina placide in Domino obdormivit. Cadaver ejus inde die quinta Januarii, hora undecima ante meridiem elatum in communi urbis coemeterio terrae mandatum fuit, comitantibus illud praeter Wagentrutzium, sororis ejusdem maritum, omnibus theologiae professoribus una cum universis theologiae studentibus, sodalitate dicta „il pio sovvegno“, RR. PP. Capucinis et Franciscanis, nec non Fratibus Misericordiae. Aliorum Sacerdotum et Laicorum pauciores ad funus convenerant, procul dubio quia immitis aëris temperies eos detinebat, fors etiam, quia nuncium mortis Antonii Caffou serius acceperant. Sodalitas a mutuis auxiliis (il pio sovvegno), uti ab aliquo abhinc tempore assolet, sodalibus obitum ejus annuntiavit, eumque suffragiis viventium sodalium commendavit modo hujusmodi:



ANTONIUS CAFFOU

Canon. honor. Eccl. Metrop. Consiliar. Consist. effectiv. Professor Theol. Mor. et Rector Seminarii centralis emeritus etc. etc.

in senectute bona

provectaeque aetatis et plenus dierum congregatus est ad patres (Gen. XXV, 8.)

Circhinae nimirum natus die 14. Januarii 1799, pie in Domino obdormivit die 3. Januarii 1877, annos natus 78.

—
Laudemus parentes nostros in generatione sua
(Ecclci. XLIV, 1.)

—
R. I. P.

Die porro septima ejusdem mensis Januarii in periodico, cui titulus „Novice“ ex urbe nostra Goritia quidam sequentem necrologum publicavit: „Po noči od 3.—4. dne t. m. je umrl — 78, manj 14 dni star — eden najimenitnejših duhovnikov v Goriči, mož po mestu obče znan in spoštovan, kakor malo kateri drugi, znan tudi večini duhovščine po vsem Primorskem; — mons. **Anton-a Kafol-a** ni več! Bil je ranjki 44 let bogoslovja profesor v tukajšnjem centralnem semenišču, veliko let tudi jako priljubljen ravnatelj tega zavoda in častni kanonik (ker družih časti ni hotel imeti). Pred 40 leti je učil tudi moralno filozofijo na nekdanjem tukajšnjem modrosl. učilišči. Slovel je zaradi naravne, nepohuljene in neprisiljene cerkvenosti in pobožnosti. Prejšnjih let je bil tudi nemški pridigar pri sv. Ignaciji. Užival je posebno zaupanje treh nadškofov. V mlajših letih je bil dobro znan v viših aristokratovskih krogih, na pr. tudi na tukajšnjem francosko-kraljevem dvoru do leta 1844; in lansko leto spet je bil on, ki je priskrbel grofu Chambordu stanovanje. Zato ga je tudi na Novo leto, ko je bil previden sè s. sakramenti, prišel obiskat nek dvornik v imenu Chambordovem. Tisti dan so se tudi Nj. eksc. preč. nadškof dalj časa mudili pri bolniku in za bridko slovó podelili mu svoj blagoslov. Vse premoženje je ranjki kanonik zapustil farni cerkvi sv. Ignacija, v kateri je čez 50 let točno po prvi maši vsakdan maševal. Leta 1872 je obhajal zlato mašo na Sv. Gori.*) V petek ob 11 uri dopoldne je bil — pogreb, katerega se je udeležila vsa svetna in redovska duhovščina:

*) In Monte S. quidem re vera eo die mane fuit, prandium vero festivum in ejus honorem instruxit Rm. et Excellm. Archiepiscopus Andreas Gollmayr, ad quod alios quoque invitavit.

„der Rest ist — Schweigen.“ Rojen je bil rajnki v Cirknem. Med raznimi posebnostmi, po katerih se je odlikoval, bila je tudi ta, da je bil prestrogo konservativen skorej v vseh rečeh. Od železnice ni hotel nič vedeti in se ni nikdar po nji vozil. Poznal je en sam časnik — „Wiener Zeitung“, katero si je naročeval skoz kakih 50 let (od l. 1824, ako se ne motim), „Wien. Zeitg.“ mu je bila pod vsako vlado enake veljave; priprosti starček ni poznal časniških zvičaj današnjega časa in tendencijoznih njihovih barv. In lejte, kakor da bi se hotel hudobni duh sedanjega časa mrliču rugati — tisti dan po njegovem pogrebu je zagledal tu beli dan italijansk dnevnik itd.“ (Novice 1877. list 2.)

Folium italicum *v* *Eco del Litorale* dictum in suo secundo numero die 6. Januarii a. c. editum simpliciter mortem ejus annuntiavit, unica hac adnotatione adjecta: „Colla sua morte fu scemato il numero di quei pochi, che datano i loro giorni dal secolo scorso. Fu uomo di bontà intemerata, di semplici costumi, di religiosità esemplare“. Unde Tergestinus quidam sacerdos indignatus mihi litteras dedit, expostulans, quare de tam universim noto, et etiam benemerito viro nil praeter pauca adducta verba in laudato Folio dictum sit. Verum satis de his. Restat, ut pauca quaedam in praemissis non memorata adhuc adnectamus.

Erga parentes suos, uti bonum filium decuit, pietatem prae se tulit singularem, nec omisit unquam, quamdiu eos in vivis habuit, quo minus eos inviseret omnibus feriis scholasticis autumnalibus. Frequentius in domum paternam se conferre non poterat ob nimiam distantiam ab urbe Goritia, nec non ob vias olim pessimas et saepe intractabiles,

ita ut aliquando praeferret viam, quae per Haidovium, Schwarzenberg, Idriam et Otalež ducit Circhinam. Tum vero, cum in paternam domum venisset, uno saltem mense patrem, matrem, fratresque suos et sororem praesentia sua laetificabat. Quando ibat Circhinam, vel Goritiam redibat, non raro uno die apud affinem Klauser Roncinae manere solebat, aut vero Tulminum, etsi rarius, petebat, domum Pencin invisurus, quae etiam sanguinis vinculo cum ipso erat conjuncta. Quamquam itinera in montanis regionibus, ut notum est, satis sint molesta, in primis ob viarum asperitatem aut etiam defectum, tamen non cessavit illud quotannis dicto tempore suscipere, quamdiu pater ejus et mater adhuc superstites erant. Illis vero in pro-
 vectissima aetate ex hoc saeculo ereptis, nonnisi semel vel bis Circhinam adiit, ubi unica soror, uti jam in superioribus dictum fuit, chirurgo loci Wagentrutz dicto nupta domum paternam dirigebat. Ipse enim jam senex effectus, etsi ultimis annis via commodior et tractabilior facta fuisset, tamen longum iter Goritia Circhinam usque non amplius suscipere audebat. Eo frequentius itaque soror una cum marito suo ex illo tempore in urbem venire et apud eum manere solebat. Etiam domus Žorč Ampletii eidem cognationis vinculo juncta fuit, at tamen minor ei cum ipsa communicatio erat, tum ob majorem locorum distantiam, tum ideo, quia nunquam Tergestum ire, et Žorč-ium mercatorem, qui eum persaepe invitaverat, invisere voluit. Unde ipse Žorč, qui alias quotannis aestivo tempore Goritiam venire solitus erat, ad aestivos calores, quales Tergesti esse solent, evitandos, indignatus Goritiam nec ipse amplius adire voluit, sed alibi aestatem transigebat. Defunctus Antonius Caffou ab

omni peregrinatione abhorrens, Goritiae manere in deliciis habuit, et praeter memoratum iter in patriam ad invisendos genitores suos, quotannis semel ad Sanctuarium B. V. Mariae Gratiarum in Monte Sancto supra Salcanum, rarius in insulam Barbanam, discedebat. Unde, uti in folio „Novice“ dicto superius citato ponitur, nunquam „viam ferream“ conscendit.

Primo itaque loco, uti conveniens erat, amor et pietas erga genitores fuit apud eum, et secundo loco erga fratres et sorores. Habuit enim praeter adhucdum superstitem, alteram quoque sororem, quae apud eum Goritiae vivebat, verum juvenis morbo consumpta obiit. Haud multo post videlicet quam Vienna Goritiam reversus cathedram theologiae moralis in nostro instituto theologico obtinuit, ergo etiam propriam oeconomiam instituere coactus erat*), illam sororem, quae domus curam gereret, et duos fratres adhuc pueros, Joannem scilicet et Aloysium, ut scholas in urbe frequentare possent, parentes eidem miserant; e paterna domo butyrum, lardum, carnes suillas, aliaque hujusmodi ad mensam praeprimis instruendam necessaria, ut aliquatenus facilius fratres sustentaret, percipiebat; ipse vero expensas pecuniarias necessarias curabat. Etsi sexcentos tantum florenos annuos haberet, tamen quatuor personae, una cum famula quinque, satis commode vivebant, etsi non laute et opipare, quia

*) Uno, alterove anno, qua professor, cum adhuc solus esset, et fratres apud se nondum haberet, apud viduam, Elisabetham Donda dictam, in via Seminarii, una cum institore Michelitsch habitabat viciumque habebat: ob fratres tandem separatam habere debebat habitationem, et quidem longissimo annorum spatio in via nobilium e regione diversorii „alle tre Corone“ dicti.

rerum venalium pretia nequaquam ita alta erant, sicuti nunc sunt. Soror vero ista, de qua hic mentionem feci, hecticâ absumpta, maturius e vita decessit.

Fratres vero Joannes et Aloysius usque ad absolutos duos philosophiae annos cum eo manserunt; postea enim Joannes ad theologiae studium conversus Seminarii alumnus factus atque inde Viennam missus lauream e ss. theologia adeptus, domumque reversus anno 1844 in domino obdormivit, ut jam narravimus; Aloysius vero ad juridica studia conversus eodem anno 1844 tristissimum vitae finem nactus est, uti similiter jam innuimus.

Antonius Caffou obsequentissimus erga superiores suos ecclesiasticos et civiles, observantiae suae erga illos specimina multa dedit. Hinc factum est, ut et professores, quamdiu adhuc scholas frequentabat*), et Episcopi ac Archiepiscopi eum adamaverint atque ejus opera libenter et frequenter usi sint, sicut non minus etiam patritii Goritienses vix non omnes illum et adirent, et in suas domos admitterent. Quod in specie attinet superiores ecclesiasticos, Episcopus Josephus Walland eum inter paucos charissimum habuit, uti videre est ex epistolis ad eum datis, dum Caffou adhuc Vindobonae morabatur, et quarum aliquas ipse inspicere potui. Verum etiam Episcopus Parentinus Peteani Antonius, origine Goritianus, singulari dilectione

*) Quotidie ferme omnes theologiae professores in ecclesia parochiali S. Ignatii vespere ad benedictionem conveniebant, inde postea Salcanum versus deambulationem una suscepturi, atque tunc Caffou numquam deerat. Post deambulationem statio, vel potius sessio, erat apud defunctum Marizza parochum et canonicum honorarium, usque ad tempus coenae, quo omnes suam habitationem solitam repetebant.

eum prosequatur, cujus, sicuti et Episcopi Bartholomaei Legat Tergestini aliquot epistolae ad hoc tempus apud haerem Antonii Caffou conservantur. Quid apud defunctum nostrum Archiepiscopum Luschin Caffou fuerit et valuerit, quot quot aetate provectiores in nostra Archidioecesi sumus, ipsi vidimus, audivimus et experti sumus. Ultimis tamen temporibus vitae Luschinii minor evasit teneritudo Praesulis erga illum. Et quanti illum fecerit Rmus. noster Archipraesul, in superioribus exposuimus.

Aristocratia Goritiana in magna semper illum consideratione habebat, imprimis quamdiu aetatem prae se ferebat florentiorem. Cum vero senior evasisset, praesertim vero post revolutionem anni 1848, minus eum expetebant; in familiis tamen Comitis Attens in foro „Corno“, liberi baronis Petri Antonii Codelli, liberi baronis Degrazia, etc. aditus eidem ad ultimum usque patebat. Familiam Comitis Attens vero inde a crudeli homicidio, quod in ejus aedibus perpetratum ante triginta et aliquot annos fuit, solícite videbatur, quantum fieri poterat, evitare; limina saltem palatii illius ab illo facto infausto numquam amplius transcendit. Haec ipsius familiaritas in patritiorum domibus non sine omni fructu fuit; plures enim, qui secus ecclesiae et sacramentorum frequentatores non erant, ad ejus confessionale accedebant; ante omnia vero sexus femineus nobilium eidem adhaerebat, atque eidem confitebatur, prout jam supra memoratum fuit. Inde mirum non est, Antonium Caffou etiam apud Capitaneum Circularem Goritiensem multum valuisse Cum Venceslao Comite Gleisbach, qui aliquot annis Capitaneus Circularis Goritiae fuit, ab initio qui-

dem Caffou optime consentiebat, serius tamen ejus influxus apud eum multum imminutus erat. Cum libero barone de Buffa autem usque ad finem semper consensio intima mansit. Sed quid dicam de familia regia Caroli decimi, exulis regis Franciae? Supra jam retuli, quae circa hanc rem in folio „Novice“ publicata fuere; pro illis tamen, qui slavica haud intelligunt, istud hic repetimus, nostrum Antonium Caffou primum agentem fuisse tum in inveniendis aptis habitationibus pro ex-rege Carolo decimo, ejusque aulicis et inservientibus, tum in coëmendis omnibus rebus necessariis, quae eis conveniebant, ita quidem, ut magnus fervor, quem Caffou in his omnibus et singulis rite conficiendis ostendebat, non parvam corporis invaletudinem causaverit, prout ex ipsius ore ego repetitis vicibus audiui. Idiomatis francogallici cognitionem aliquam habuit adhuc ex illis annis primae suae juventutis, cum Labaci scholas frequentasset tempore dominii francogallici ab 1809 usque finem anni 1813. Istud erat una ex praecipuis causis, ob quas cum illa regia familia in contactum venerat. Unus e sacerdotibus ad aulam dicti regis spectantibus etiam nostrum Caffou pro suo confessorio habuit. Sed anno 1844 ista familia Goritiam dereliquit, nec nisi elapso anno 1876 iterum Goritiam pro hyemis tempore hic exigendo reversa est, quod et currente anno 1877 locum habuit. Caffou itaque, sicuti ante triginta duos annos, ita nunc quoque iterum, etsi gravi senectute pressus, pro viribus admissus est, illis servire et praestare, quaecumque servitia et ministeria potuit. Magnis enim et in alto constitutis servire semper honori sibi ducebat quam maximo.

Ideo vero nemo putet, quod neglexerit ae-

quales suos et inferiores se; imo cuicumque inservire, et votis ejus respondere semper et ubique satagebat. Erga collegas suos professores aequissimus et humanissimus, nunquam passus est, ut illum tamquam praepositum et superiorem suspicerent, etsi qua Rector Seminarii et Vicerector studii theologici facto eis esset praepositus. Nemo autem magis Antonii Caffou officiositatem et amicum animum expertus est, quam Josephus Crobath, modo pariter jam defunctus, imo et ego ipse, qui haec scribo, nisi quod causam hucusque ignorem, quae illum movit, ut erga me tam benigno, imo paterno fuerit animo. Defunctus Josephus Crobath paulo ante mortem mecum locutus, admiratus est Antonii Caffou sollicitudinem, quam pro illo habuit.

Non minorem curam et sollicitudinem manifestabat Caffou erga Seminarii alumnos, praecipue quum Rector esset Seminarii, quibus et saepe libros donabat, et pro corporali eorum salute curam gessit omnino specialem. Verum est, in nonnullis domus disciplinam eo Rectore laxatam fuisse, sed quis est omnino in omnibus perfectus? Omne nimium, ut veteres dicebant, vertitur in vitium, atque potius est peccare per nimiam misericordiam, quam per nimium rigorem. Summum jus summa saepe injuria. De caetero, quot capita, tot sententiae.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Qui omnibus servire vult, multis se onerat curis, et minus sibi ipsi vivere potest. Caffou omnibus satisfacere conatus, minus studiis profundioribus vacare potuit. „Ach! wir sind nicht mehr fürs Studieren“, mihi aliquando dixit; atque vehementer mirabatur, cum videret me pauca quae-

dam vel pro inferioribus scholis conscribentem, aut secus in publicum edentem. — Quo minus autem lectione et studio serio occupatus erat, eo magis practicam, ut dicere solemus, vitae partem excolebat; loquacior, inprimis in proveciori senectute, ita evasit, ut jam quasi in proverbium factus sit.

Mirum in eo hoc mihi apparebat, quod si non manifeste adversatus est exercitiis spiritualibus pro sacerdotibus in cura animarum expositis haberi solitis, tamen illis minime faverit, atque nunquam illa nobiscum subire voluerit. Non erat RR. PP. Societatis Jesu adversarius; imo illos non parum venerabatur; quia vero siue multis ambagibus et aperte unum necessarium verbo et opere petunt, minus ei arridebant. Aliam nimirum, ut ipse putabat, prudentiorem viam ingredi deberent, ut majorem animarum referre possent fructum. Partim, quia studia sua confecerat tempore, quo Josephinismus in maximo flore erat, partim quia prima exercitia sacerdotum anno 1854. sede vacante, ipsoque Seminarii Rectore, in nostro Seminario instituta, ad quae circiter 130 Sacerdotes, convenerant, molestiam ei non parvam causaverant; praecipue cum talis semper fuerit, ut omnes pro posse contentos reddere studuerit; partim fors aliae causae quoque, mihi minus notae cooperabantur, ut quasi averso inde animo erga haec maxime laudabilia et tam necessaria exercitia spiritualia exstiterit.

Fuit vero Caffou homo vere devotus, non tantum divinum officium exacte recitando, Missam quotidie celebrando, et uti jam diximus, nisi legitime impeditus esset, quotidie vespere ad Litanias in Ecclesia S. Ignatii veniendo, sed etiam S. Rosarium B. V. M. frequentissime recitando, et sa-

cram confessionem saepius peragendo. Nunquam neglexit publicas supplicationes et Litanias ac Processiones in festo S. Marci Evangelistae, in Rogationibus, aut in festo S. Rochi, 16. Augusti quotannis haberi solitas, ut taceam de theophorica processione in festo Corporis Christi, quam ultimis annis, utpote Canonicus honorarius Ecclesiae Metropolitanae, effectivis Canonicis sociatus peragere solitus erat. Sic quoque, quamdiu Seminarii directionem adhuc retinebat, quotannis hortum Seminarii domesticum obibat benedictiones congruentes recitans. Ridebit forsitan haec legens aliquis, sed recordetur illorum supra adductorum, qui talis est, verborum: „Slove! je zarad neke posebne priprostosti.... in pobožnosti.“

Scio aliquos e clero nostro timuisse Antonii Caffou magnum, uti ajebant, influxum, res, uti fieri solet, exaggerantes. Timebant nimirum timorem, ubi non erat timor. Alii e contra eidem solícite commendabant se, reputantes, illius ope se facilius et promptius consecuturos, quod consequi optabant. De hujusmodi molestis petitionibus et insinuationibus defunctus non raro conquerebatur. Cum enim esset vir optimus, unicuique justa desideria adimpleri optabat, imo ubi evidens boni ratio postulare videbatur, pro viribus nitebatur rem verbo et opere promovere. Quodsi quispiam putet, injuria se ab ipso affectum, oppido fallitur, eidem culpam adscribendo: unusquisque enim juxta suam persuasionem agat oportet, nam quod non est ex fide, ait Apostolus, peccatum est. Nulli vero ex industria et malo animo vel minimam inferre voluit injuriam, omnibus nil, nisi quod bonum est, desiderans. De rigore ejusdem in examinibus pro concursu parochiali manifestato aliquando querela audiebatur;

verum si quis rigor tunc adhibebatur, aequali modo etiam reliqui Examinatores Prosynodales, uti Caffou, procedebant, neque ob hoc solus Caffou accusandus est. Praeterea hoc naturale est, si novae vires etiam majorem in agendo vim exerunt; omnis res tempore attrita debilior evadit. Unde Examinatores etiam veterani semper leniori modo procedere solent, quam juniores. Et tandem abusus quosdam, temporum injuria invecos, quum pro officio tollere conati fuerint, quorum intererat, Examinatores, non ideo rigoris nota ipsis inurenda est.

Non sit porrecta manus tua, ait Scriptura, ad accipiendum, et ad dandum collecta. (Ecclci. IV, 36.). Dantur enim non pauci, qui sunt, ut dici solet, strictissimi juris, neque intelligere possunt, quomodo verum esse possit illud Apostoli dictum: *Beatius est magis dare, quam accipere* (Act. XX, 35.). Et utinam inter Clerum nullus esset, cui hoc malum objici possit! Antonius Caffou non multum distat a pio quodam, ante viginti annos jam defuncto animarum Curatore, qui etsi viginti quinque annis Christi oves pavit, post obitum ejus soli sex floreni activae, ut ajunt, facultatis inventi fuerunt. *Dispersit nimirum, et dedit pauperibus,* uti psaltes loquitur, et ideo *justitia ejus manet in saeculum saeculi.* (Ps. CXI, 9.). Caffou item noster, etsi ultra quinquaginta annos in statu sacerdotali exegit, exiguam tantum haeredi suo facultatem reliquit*). Liberalis enim fuit, et gaudebat, si quando vere egentibus nummis, vel alia re, succurrere poterat.

*) Tantum nempe post obitum suum reliquit, ut solutis, quae pro funere requirebantur, 600 fl. circiter superessent, qui insumpti fuerunt in Sacristia Ecclesiae parochialis S. Ignatii restauranda.

Unde et supra jam suo loco memoravi, de suo saepe peculio tristissimis pro oeconomia Seminarii, cui tunc praeerat, temporibus necessarias quasdam expensas faciebat, quin unquam sic expensam pecuniam ab instituto repeteret.

Sed forsitan his meis observationibus jam taedium affero lectori; ideo etsi non pauca adhuc dicere habeam, tamen ne limitem justum excedam, hic finem dicendi faciam. Istud unicum tamen non abs re futurum est, si dixerò, novos vestiendi modos, qui ferme quotannis alii sunt, et a clero nostro praeprimis juniori avide recipiuntur, ita ut verus et conveniens habitus ecclesiasticus magis magisque dispareat, et jam saepius mihi contigerit, ut sacerdotem a laico non facile discernere potuerim; Antonio Caffou horrore fuisse, ita quidem, ut et pileum, et ocreas, et hyemali tempore pallium semper gestaverit illo modo et illa forma, sicuti triginta vel quadraginta abhinc annis consuetum erat. „Bil je prestrogo konservativen skorej v vseh rečéh“ superius observatum fuit in loco e folio „Novice“ decerpto. Ast in seniculis viris multa facilius tolerantur, quam in aliis, qui etiam in hujusmodi rebus mediam viam teneant oportet, ne singularitate sua cuipiam offenculo sint.

Quum brevem biographiam praemature defuncti D.^{ris} Joannis Nep. Hrast anno 1875 edidissem, vitio mihi a quibusdam vertebatur, quod tantum laudabilia de eo retulerim. De mortuis nil nisi bene! Si enim in defectus inquirere velimus, cum simus omnes filii Adam, in omnibus eos inveniemus. Ego vero potius sequor verba sapientissimi regis: *Ne insidieris, et quaeras impietatem in domo justi,*

(Prov. XXIV, 15.) atque ideo et illius tunc vitam secundum normam istam describere volui, et in hac praesenti vitae Felicis Antonii Caffou delineatione ab eadem norma me non discessisse opinor. Haec monuisse sufficiet. Valet!

Josephus Fridericus Crobath.

Integris quadraginta quatuor annis in instituto theologico Goritiae Studium biblicum Novi Testamenti docebat Josephus Fridericus Crobath, nimirum a mense Novembri anni 1818, quum studia theologiae apud nos iterum introducerentur, usque ad finem anni scholastici 1862, quando modica pensione 630 fl. annuorum donatus cathedram suam Professori Alöysio Zaengerle cessit. Ex illo tempore quatuordecim, et quod excedit, annos quiete vixit Deo sibi, donec mense Februario 1877 e vivis excessit. Si praemature defuncti D.^{ris} Joannis Nepomuceni Hrast, atque Professoris ac Canonici honorarii Felicis Antonii Caffou brevem scripsi biographiam, utique et Professoris Crobath oblivisci non debeo uti gratus ejusdem aliquando discipulus ac collega. Et profecto persuasum mihi est, quam plurimis rem me facturum gratissimam, scribendo et publicando pauca illa, quae de modo defuncti Crobath vita et moribus intemeratis mihi innotuerunt.

Carnioli (Krainburg) in Superiori Carniolia, patre Josepho Crobath, matre Barbara Paradeiser, sub domo numero 77 anno Domini 1795, die vero 4. Martii natus, mundi hujus lucem aspexit, atque tum quia pater Josephus erat, tum ob propinquum festum S. Josephi, terrae patroni, in baptismo Jo-

sephus nuncupatus fuit, cui tamen et alterum nomen Fridericus adjectum est. Familiae cognomen absque dubio olim Hrovat erat, quod vero temporis progressu in Crobath immutatum est; ut itaque ante tempora immemorabilia homo e Croatia in Carnioliam domicilium suum transtulerit, et huic familiae originem et cognomen dederit. Non enim insolitae sunt hujusmodi nominum immutationes, quibus variae assignari possunt causae; et hic quidem manifesta causa ea est, quod sicuti Croatis nomen Kranjac, ita Carniolis nomen Hrovat quasi scomma sit, unde facile Hrovat in Crobath permurtari potuit.

Quod de origine et nomine familiae Crobathianae hic exposui, confirmatum invenio eo, quod ipse Professor Crobath post se scriptum reliquit. Inter alia videlicet ipsius manuscripta est etiam Ephemeridion, sive liber djurnus, inferius adhuc saepius citandus, in quo sub finem anni 1866 genealogiam quoque suam adnexuit. „Mathias Gregor „Crobath — sunt ipsissima ejus verba, — der „Erste dieses Namens, ein geborner Kroat, hat „sich vor 180 Jahren nach Krain geflüchtet (nach „Oberkrain) vor den Türken, welche 1683 unter „Kara Mustafa mit 200.000 Soldaten über Wien „fielen, und glücklicher Weise durch Joannes So- „biesky am 12. September besiegt und nach Un- „garn vertrieben wurden, nachdem sie ihre Grau- „samkeit an 25.000 niedergemetzelten Christen vor „ihrem Abzuge ausgeübt haben. Im Lande schlep- „ten sie als Gefangene 50.000 Kinder, 6000 Män- „ner, 11.000 Weiber, und 51.000 Junge aus Oe- „sterreich in die Türkei.“ Iste ergo Mathias Gregorius Crobath habuit quinque filios, scil. Franciscum Florianum, Joannem Andream, Mathiam Gre-

gorium, Philippum Jacobum, et Matthaeum Zacchaeum; nec non unam filiam, cujus nomen non patet, quae vero uni e liberis Baronibus de Grim-schitz nupta fuit. Ultimo loco nominatus Matthaeus Zacchaeus subscribebat se „von Crobath“, eratque 1786 „Zollmeister in Triest“; frater ejus Philippus Jacobus vero judicis officio Celejae (Cilly) fungebatur; etiam Joannes Andreas, anno demum 1812 defunctus, doctor fuit utriusque juris. — Dicitur itaque Franciscus Florianus Crobath Mariam Josepham natam Garzarolli uxorem habuit, atque filium generavit Josephum, et praeterea quatuor filias. Mortuus est anno 1774, postquam primo in Auersberg (1738—1759), dein vero in Veldes (1765—1774) administrator fuit bonorum nobilium quorundam, quorum nomina indicare non valeo. — Josephus natus 2 Martii 1764 (mortuus anno 1831), ut superius diximus, accepta uxore Barbara Paradeiser, habuit filium primogenitum Josephum Fridericum, qui statum ecclesiasticum amplexus qua Professor theologiae apud nos Goritiae 5. Febr. 1877 mortuus est; secundogenitum Casparem, qui Ordinem S. Francisci ingressus, vocatus P. Benvenutus, adhucdum vivit in Conventu Franciscanorum Labaci; et tertio genitum Joannem, qui in saeculo manens, paternam domum sustinet, atque matrimonio contracto quatuor filios totidemque filias generavit.

Pater itaque Josephi Friderici Crobath et ipse Josephus dictus, bonorum opulentioris Carniopolitani administrator (Verwalter) fuit, ideo Carniopoli commorabatur; alias enim locus solitae ejus habitationis fuit, ubi etiam agrum triginta jugerum sive, ut Germanus loquitur, Eine Hube oder Hufe, possidebat, pagus Stražiše vel Stražišče, parum a Car-

niopoli versus austrum distans, ibique domus ipsius numero 44 signata erat. Benedictionem uberum et vulvae, ut Scripturae verbis utar, ejus genitores satis habuerunt, nam quantum e documentis a me inspectis patet, anno 1811 praeter Josephum Fridericum, qui tunc sexdecim annorum erat, quatuor alios habebant. In genealogia praemissa duo tantum Josephi fratres, Caspar et Joannes, memorantur; alios vero duos fors ideo non memoravit, quia tunc (1866) jam amplius inter vivos non erant. Nam testimonium paupertatis ejus anno 1811 scriptum expresse dicit: „Dass die im Dorfe Strasisch Haus „N.ro 44 wohnhaften Eltern des in Gratz die Logik studirenden Joseph Crobath, welche nebst „bey noch 4 minderjährige Kinder aus „einer kleinen Hube zu unterhalten haben, wirklich „arm sind“ etc. — Sed haec de familia et origine ejus satis superque dicta sunt. Nunc jam solum, quae Josephum Fridericum Crobath attinent, praee oculis habere volumus.

Scholas elementares Josephus noster initio currentis saeculi in loco nativitatis, videlicet Carniopolis, haud dubie optimo profectu frequentavit, cum eum anno 1807 qua puerum duodennem in prima grammatices classe Labaci inveniamus, in qua inter condiscipulos suos diligentia, bonis moribus et cognitionibus suis ita excellebat, ut tertius praemifer evaserit. In manibus habeo fasciculum, qualem vulgo thecam appellamus, in quo pensa scholastica anno 1807 ab eo elaborata continentur, quae testantur ejus accurationem, assiduitatem et diligentiam non communem. Anno sequenti 1808 invenimus eum non jam in secunda, sed in tertia grammatices classe. Tunc temporis enim poterant saltus hujusmodi facere, qui sufficienter instructi inveniebantur.

Defunctus Professor Jacobus Stibiel, lectoribus meis ferme omnibus optime notus, etiam hujusmodi saltus dedit, cum adhuc medias scholas Labaci frequentaret. Quoad Josephum Fridericum Crobath speciale documentum possideo, quo istud extra omne dubium collocatur; est vero documentum istud, testimonium, vulgo attestatum dictum, in quo dicitur: „Approuvé pour la III. classe“ atque propria manu subscriptum a Valentino Vodnik, Francisco Peesenegger, et quodam Francogallo nomine Chauraq, professore linguae francogallicae Labaci commorante. In tertia itaque Grammatices classe constitutus Jos. Fr. Crobath tam assidue studiis vacabat, ut secundum praemium referret. Sequenti vero anno 1809, sive in quarta grammatices classe, iterum tertio praemio donatus fuit. — Ascendit inde anno 1810 in primam humanitatis classem, in qua autem ipse praemium scholasticum retulit nullum, praemiferis tamen primo loco accessit; atque in secunda humanitatis classe ex omnibus disciplinis illo anno (1811) pertractatis notam *optime* retulit, ut ex scholastico testimonio apparet.

Sequentibus tribus annis scholasticis 1812, 1813 et 1814 Labaco Gracium in Styria transgressus philosophiae studiis etiam optimo successu vacavit. Quantae fuerit philosophiae studiosus Josephus Frid. Crobath pietatis, manifestum invenio indicium in devotionis libro, quo tunc utebatur, et qui post ejus obitum cum aliis plurimis libris ac scriptis ejusdem in bibliothecam nostri Seminarii Centralis Goritiensis venit; in eo enim adnotatas invenio ejus propria manu horas cultus divini publici in variis ecclesiis Gracensibus, tum antemeridiani, tum vespertini, nec non sacrorum sermonum. Est vero liber *Panis coeli*, auctore R. P.

Nicolao Elffen e S. J. Viennae 1763 typis editus,
ad cujus calcem haec adnotaverat:

Gottesdienst in Grätz.

	Domkir- che	Stadtpfarr	Franci- scaner	Ursuline- rinen
Sonntag: 1.te Mess im Sommer . .	1/2 5 U.	—	1/2 5	—
Winter . .	6	1/2 6	—	6
„ 1.te Predigt .	1/2 7	—	6	—
„ die Segenmesse	7	11	8	1/2 11
„ das Choralamt	9	—	—	—
„ 2.te Predigt .	1/2 10	9	9	10
„ das Hochamt .	10	1/2 10	10	1/2 1*)
„ die Vesper .	4	5	4	4

Ex his cognoscimus, diligenter eum frequen-
tasse diebus festivis ac dominicis et Missam, et
sermones sacros libenter auscultasse. Quod eo magis
in adolescente septemdecim, duodeviginti et
undeviginti annorum, aetate illa lubrica ac levi,
admirandum et laudandum est, quo magis notum
est, in urbibus majoribus, uti est Gracium, prae-
cipue cum ob Studiorum Universitatem adolescen-
tes studiosi ex omnibus quatuor mundi partibus
numerosi concurrant, pericula aetati illi plura se
offerre, multique si non aliter, ex humano, uti
vulgo dicimus, respectu, ne a condiscipulis suis

*) Mirum videri potest, Missam Solemnem 1/2 1 fuisse apud
Ursulinas; fors error calami est, pro 1/2 12, quod utique verosi-
milis videtur.

irrideantur, aliasve molestias sustineant, a frequentatione Ecclesiarum abstinere. Noster itaque Josephus Frid. Crobath, cui *pro minimo erat, ut a coaevis suis judicaretur, aut ab humano die* (1. Cor. IV, 3.), imprimis quia statum ecclesiasticum amplecti intendebat, immaculatum se conservavit in medio mundi corrupti, atque feliciter transacto triennali Philosophiae cursu, die 28. Novembris 1814 inter Labacensem Clerum receptus fuit; dicta enim die Episcopus Joannes Antonius Ricci eidem Tonsuram contulit, et quatuor minores Ordines.

Sic itaque Gracio Labacum reversus annis 1815, 1816, 1817 et 1818 Theologiae studia eo profectu confecit, ut si excipias unicam *primam classem* primo Semestri ex Jure Ecclesiastico, ex omnibus theologicis disciplinis *Primam Eminentem* classem retulerit. Hoc tempore conscripsit opusculum, cui titulum dedit: *Τα των τοπων της Αιμωνης διοικησεως ονοματα, γεγραμμενα δι Ιωσηφου Χροβαθ της Δογματικης και Εθικης μαθητην*, adjecta adnotatione slovenica: *V' Ljubljani 11 Julja 1817.* — Alterum scriptum ex hoc tempore est: *Cvetóvi Krajnske modrice, ke jih je nabral in spisal Jože Krobat.* — Absoluto ergo, ut diximus, feliciter Theologiae studio, mense Septembri 1818, die 13. Subdiaconus, die 19. Diaconus, ac die 21. ejusdem, ab Episcopo Augustino Gruber Presbyter fuit consecratus. Primum Missae Sacrificium obtulit die 24 ejusdem Septembris, festo beatissimae Virginis Mariae de Mercede, in Ecclesia Cathedrali Labacensi hora sexta matutina coram exposito Ss. Sacramento.

Non reputo superfluum futurum, si etiam Professores nominävero, sub quibus Crobath scholas

publicas frequentavit. Et Labaci quidem Praefectus Gymnasii tunc erat Franciscus Hladnik, Professores vero: Carolus Rosman (1. Gram.), Valentinus Vodnik pro geographia et historia, Urbanus Jerin Catecheta, et docens linguam graecam, M. Kallister pro Mathematica, Franciscus Peesenegger pro eloquentia et poësi. Alius quoque Catecheta (in 1. gram.) occurrit quidam Joannes Kucher. Peesenegger Franciscus iste postea fuit Praefectus Gymnasii Goritiae pluribus annis, erga quem Josephus Crobath tamquam suum quondam magistrum gratum animum semper conservabat, atque recurrente quotannis die ejusdem onomastico 3. Decembris, ad eum se conferebat ut eidem gratularetur; sicut alias etiam Peesenegger ad eum invisendum venire frequenter solebat. — Quos porro habuerit Crobath Professores in Philosophia, dicere non possum, quia testimonia scholastica illa a Directore Philosophiae, Xaverio Gmeiner, tantummodo subscripta sunt. — Labaci vero in Theologia Professores ejus erant: Georgius Dolliner pro historia ecclesiastica et jure canonico, Jacobus Supan pro studio biblico Veteris Foederis, Urbanus Jerin pro studio biblico Novi Testamenti, Matthaeus Raunicher pro theologia dogmatica, Josephus Dagarin pro theologia morali, et Georgius Supan pro theologia pastorali. Paedagogicam didicerat Professore Urbano Jerin. Omnes ut plurimum valde eruditi viri, atque inter hos Matthaeus Raunicher postea Episcopus evasit Tergestinus.

Historiam vitae Josephi Friderici Crobath ita perduximus usque ad illud momentum, quo e scholis bene instructus egressus ac Sacerdos factus alios docere coepit. Occasio peropportuna aderat mox tunc, obtinendi munus honorificum, docendi

et instruendi adolescentes ad statum ecclesiasticum se praeparantes: Goritiae nimirum, ubi saeculo elapso decimo octavo studia philosophica ac theologica viguerant, sed partim jussu Imperatoris Josephi II. cessare debuerunt, domo presbyterali sive Seminario Goritiensi suppresso, partim temporum inquietorum injuria finem acceperunt: domus Clericis excipiendis idonea illucusque a militibus inhabitata, primitivae suae destinationi restituta atque restaurata; studia quoque philosophica ac theologica iterum introducenda erant. In locum defuncti nimia aetate confecti Episcopi Goritiensis Francisci Philippi Comitum ab Inzaghi succedebat Josephus Walland Carniolus. Quaerebantur viri idonei, qui disciplinas theologicas in novo Seminario theologico Goritiae docerent, nam inter Clerum Goritiensem pro temporum illorum circumstantiis, ubi et pro animarum cura Sacerdotes sufficientes non facile inveniebantur, sex theologiae Professores inveniri non poterant. Concursus itaque indictus erat pro obtinendis cathedris scientiarum theologiarum in novo instituto theologico Goritiensi docendarum. Habitus vero est concursus Vindobonae, ubi tunc Antonius Peteani, dioeceseos Goritiensis Presbyter, in instituto sublimioris educationis ad S. Augustinum gradum Doctoris Ss. theologiae consecutus versabatur, qui examen concursus subiit pro studio biblico Veteris Foederis. Habitus est concursus etiam Labaci, ubi Josephus Stibiel pro theologia pastorali, Bartholomaeus Arco pro theologia dogmatica, Josephus Crobath pro studio biblico Novi Foederis, et Josephus Poklukar pro theologia morali examen concursus subierunt. Erant hi omnes dioeceseos Labacensis Presbyteri, uno dempto Josepho Stibiel, qui erat dioe-

cesi Goritiensi adscriptus. Una cum Episcopo Walland omnes quoque dicti Presbyteri Labacenses Arco, Poklukar et Crobath Goritiam advenērunt, cathedras suas interim provisorie conscensuri. Et quidem, quod attinet Josephum Frid. Crobath, ipse Goritiam advenit die 31. Octobris 1818, uti in ejus diario annotatum legimus. Hocque modo factum est, ut Crobath, vix absolutis Theologiae studiis, neopresbyter dicta prima Missa, neque pro cura animarum examen unquam subierit; unde etiam toto vitae suae tempore nullius confessionem sacramentalem exceperit, neque alium pastorem actum exercuerit, nisi quod duos sermones sacros carniolice habuerit, ut suo loco inferius dicetur, et quod semel unum par copulaverit. Sub die nimirum 21. Junii anni 1835. in diario suo hæc adnotavit: Bleyweiss Jacob Feldwebel mit der Anna Ongara von mir J. C. kopulirt bei S. Antonio. Statim enim scholae laboribus et curis addictus illud unice ob oculos habuit, ut suo muneri, ut par erat, satisfaceret. Et en modum et rationem in schola tractandorum, quam sibi ante praelectionum initium die 2. Novembris 1818 designaverat, uti in scriptis ipsius invenio:

Plan.

Vor - Ostern.

Eröffnungs-Rede, worin das Geschäft des Hermeneuten dargestellt wird als das mühsame Ackern und Pflügen auf und im Felde der Bibel.

Factum est.

Die Bibel des N. T. wird kursorisch chronologisch genommen. *Fit.*

Darauf folgt mit Umsicht und Bedacht vortragen Jahn Enchiridion.

Mitunter wird griechisch gelernt und höchstens einige 6—8 Kapitel aus dem historischen Theile der Bibel des N. T. übersetzt, erklärt und ausgelegt.

Nach-Ostern.

Versuch einer Introduction in die Bibel des Neuen Testaments.

Übersetzung und Erklärung biblischer Perikopen aus dem historischen und didaktischen Theile der neutestamentlichen Bibel.

J. Crobath m/p.

Anno 1818 2. November Abends entworfen.

Plus minusve secutus est semper istam tunc delineatam et adumbratam studium biblicum N. T. tractandi rationem, ut adhuc inferius videbimus. Et cum supradictus Antonius Peteani Viennâ nondum advenisset, Josephus Crobath ejus loco etiam ex studio biblico Veteris Testamenti praelectiones habuit usque ad diem 14. Decembris 1818, qua ipse Peteani munere suo fungi coepit.

Verum examen concursus dictum Labaci institutum ab aulica studiorum Commissione Viennae illegale declaratum ac reprobatum fuit. Crobath itaque novo examini submittere se debuit, sicque factum est, ut demum a die 1. Julii 1820 qua verus Professor definitivus, uti loqui solemus, fungi potuerit; atque ut Jacobus Stibiel, frater paulo superius memorati Josephi, qui demum altero Semestri 1819 historiam ecclesiasticam et jus cano-

nicum docere coepit, moxque examine concursus facto approbatus fuit, tamquam senior Professor, post Antonii Peteani discessum, habitus, et qualis ad suum salarium alios ducentos florenos obtinuerit.

Exinde jam Crobath unice intentus, ut digne expleret officium sibi demandatum, usque ad finem anni scolastici 1862*) cathedram studii biblici Novi Foederis occupabat, sive usque ad tempus, quo annos natus sexginta septem, variis corporis sui aegritudinibus coactus, eam derelinquere, et pensione donatus, in quiete finem vitae suae praestolari coactus erat, secundum illud cujusdam memorabile dictum: Inter humanum officium et divinum iudicium sit aliquod interstitium. Interstitium istud apud nostrum Crobath satis longum fuit, cum usque ad initium Februarii 1877 vitam produxerit. Sed de his inferius adhuc nobis dicendum erit. Revertamur iterum illuc, unde digressi sumus.

Diximus paulo superius in adumbratione sive delineatione methodi observandae sibi ab initio propositae, qua ratione Crobath aggressus sit tractare studium biblicum N. T. In suo ephemeridio sive diario denuo, et quidem accuratius, utpote jam experientia tredecim annorum doctus, anno 1831 sequentem sibi determinavit ordinem:

Ordo studii biblici Novi Testamenti.

1. Inde a principio Coursus antepaschalis quotidie praelectiones ex Hermeneutica, quae circa 97 horas postulant explicationis et examinationis.

*) Discipulos omnibus 44 annis habuit circiter mille et ducentos.

2. Finitae Hermeneuticae subjungitur Exegesis Evangelii tetrabiblici lectionum 94.

3. Post Evangelii tetrabiblici Exegesin tractatur Introductio a num. 1-52, deinde lectis 1. 2. et 3. Joannis, sequitur Introductio num. 53-62. praeterea legitur Apocalypsis, et proponitur Introductio num. 63-71.

4. Sequitur Exegesis Actuum Apost. I-XII. postea Introductio in prius legendas 1. et 2. Petri, nec non Judae, num. 72-98. Deinde Act. XIII, cum Epistolis Pauli. Introd. num. 99-169, ac continuatur usque ad num. 241.

5. Pro Graeco sumitur Matth. IV, 12-17. et XXVIII, 1-10. Mar. I, 1-4. XIII, 32-37. et XVI, 1-11. Luc. I, 1-4. Act. I, 1-3. Joan. X, 40-41. XX. 30-31. XXI, 25. Act. XV, 23-29. XXIII, 26-30. Rom. 1-7. Col. IV, 7-18. Philem. et Hebr. II, 1-4.

Ita in diario, ut diximus.

De caetero etiam extra scholae tempus auditoribus suis pro viribus subvenire paratus semper fuit. Quapropter quum anno 1820 hebdomadales repetitiones inter Seminarii alumnos Goritiae invehentur, e duobus Professoribus eas moderantibus unus fuit Crobath Josephus. Hujusmodi repetitio res est oppido laudanda, imo necessaria, unde ab antiquissimis temporibus notum adagium est: Repetitio mater studiorum. Sed nescio quid causae fuerit, ut istae hoc modo introductae, tamque utiles et necessariae repetitiones in desuetudinem abierint. Professores quidem, uti modo memoratus Crobath, nec non D.r Antonius Peteani, Professor studii biblici Veteris Foederis, suo officio optime functi sunt, sed ob varia inconvenientia ipsi quoque istas repetitiones dimiserunt. Sequentibus itaque annis

correpetitores, ut vocari solent, constituebantur capaciores bini, terni, aut etiam cum istud magnus alumnorum Seminarii numerus requirebat, plures ex alumnis ipsis, hocque modo usque ad anni 1842 finem repetitiones binis in qualibet hebdomada horis, feria quarta et Sabbatho ad Vesperam, institui solebant, postea vero sublatae sunt.

Interim suo ordine studia procedebant in Seminario centrali Goritiae; sed exeunte anno scholastico 1824 D.r Antonius Peteani hic supra laudatus nominatus est Consiliarius Gubernii Litoralisi rationem habiturus negotiorum ecclesiasticorum, et Goritiã Tergestum discessit. Sed nemo aderat, qui cathedram studii biblici Veteris Foederis occuparet; Professoris igitur vices egit Josephus Crobath a mense Novembri 1824 usque ad secundum Semestre anni 1826, id est, usque ad 9. Aprilis 1826, erga remunerationem annuam 300 flor.; quo anno labente Joannes Evangelista Mosetizh Viennã revocatus, ubi examen concursus pro ista cathedra jam subierat, Goritiam reversus est, atque ut Professor studii biblici Veteris Foederis usque ad finem anni scholastici 1846 fungebatur.

Sub finem anni 1828 Petrus Gorjup, Professor theologiae dogmaticae, Parochus Ajellensis factus, Goritiam atque suam cathedram dimisit; cui Josephus Crobath toto anno 1829 usque ad diem 31. Decembris providit, donec novus Professor Thomas Jederlinich prima Januarii 1830 docere coepisset. Ab initio Novembris 1828 usque ad finem Decembris 1829 remuneratio 350 florenorum eidem soluta est. Adhibebat vero Crobath methodum docendi peculiarem, qua discipulis rem reddebat valde facilem etiam minus capacibus, schematibus et tabellis adhibitis, et memoriae cruciamentis pro

posse evitatis. Obque morem istum suum, omnia in tabellas redigendi et facilitandi hoc modo studium, aliquando a theologiae studiosis joci causa Professor tabellarius vocari solebat. Supersunt adhuc plures fasciculi, secundum quos theologiam dogmaticam, sequendo Klüpfel-ium, provisorie illo anno docuit. Auditores ejus gratum animum eidem demonstrarunt hac ratione, ut elegantem elegiam, typis Petri de Valeriis in serico expressam, ipsi obtulerint; dixi, elegiam, tristes enim animo erant, quod illum non amplius essent audituri. Verum, ut ipse lector de re hac judicare possit, en ipsam elegiam hic adnectimus.

Dem

Hochwürdigen Herrn

JOSEPH CROBATH

Professor des Bibel-Studiums des N. T.

bey der Ablegung der Supplenten - Stelle aus der Dogmatik
an der Theologie zu Görz.

Elegie.

Wie, wenn im Lenze die Nachtigall den frohen Geliebten,
Der ihr zur Seite gehüpft, zärtlich gekoset, vermisst,
Irrend vom Busch zu Busch in kläglichen Tönen sich härmet,
Es erwiedert des Hain's Echo den schmelzenden Laut:
Also ergiesse diess Lied das innere Wehe des Herzens,
Das den Geliebten verliert, welcher so theuer ihm war.
Blitzschnell flogen zur Ewigkeit hin zwolf glückliche Monden
An des Theuoren Hand weislich zur Tugend geführt.
Rosige Stunden flossen in Seiner beglückenden Nähe;
Jede Lehre war süß, träufelte Balsam ins Herz;

Wie ein Orakelspruch unwiderleglich, und heilig,
 Ging aus dem lächelnden Mund lehrend das göttliche Wort.
 Heiterkeit strahlte stets in Seiner freundlichen Miene,
 Und Sein reines Gemüth blickt aus dem Auge hervor.
 Jeden aus uns hat Er mit gleicher Liebe begegnet;
 Nicht mehr hätte den Sohn zärtlicher Vater geliebt,
 „Ich verlass' euch Geliebteste! sagte Er*) innigst gerühret;
 „Leget wohl ans Herz, was ich euch Gutes gelehrt!
 „Täglich gaben wir Zeichen gegenseitiger Liebe!
 „Jeden hab' ich geliebt; liebtet ihr innig auch mich!
 „O bewahret diese Liebe in euerem Herzen!
 „Höret diess letzte Wort: Folget der Liebe stets nach!“ —
 So verliess Er uns, und eilte hinweg zu verbergen
 Jenen perlenden Thau, welcher dem Aug' Ihm entrann.
 Stumm vor Schmerz war jeder und wischte das thränende Auge:
 Unser Vater ist weg, unser Geliebter ist hin!
 O so lasset uns klagen, lasset die Thränen hinfließen!
 Gross ist unser Verlust, gross sey die Trauer um Ihn! —

**Die Hörer des 3,ten Jahrganges
 der Theologie.**

Quamquam hujusmodi poëticis grati animi nec non venerationis manifestationibus credi semper non possit nec debeat, hic tamen ego quidem exceptionem facio. Talem enim professorem semper laetum, ridenti vultu, internum animi candorem manifestante, strictissime catholicum, qui difficillimas quasque partes disciplinarum theologiarum, quas docebat, sua simplici methodo captui facillimas reddere sciret; nec antea nec postea habuerunt.

In regionibus, uti est nostrum Litorale Austriacum, ubi plures linguae se contingunt, et maxima pars populi slavicum idioma loquitur, qui-

*) In suo diario saepius laudato die 30. Decembris 1829 adnotavit ipse: **Valedixi Dogmatistis charissimis!**

cumque publico aliquo officio fungitur, necessario etiam slavica[m] linguam calleat necesse est. Hinc a regimine requirebatur omni tempore, ut publica officia hisce in locis obire volentes populi linguam nossent praeter germanicam et italicam. Quum itaque in toto Litorali nostro non existerent scholae ac magistri pro populari lingua addiscenda, Gubernium Litorale Tergestinum decreto suo dd. 19. Aprilis 1834. N.º 7693. Professorem Josephum Crobath nominavit Examinatorem e lingua carniolica sive slovenica, facultatemque ei tribuit a se examinatis testimonia dandi, quae testimonia semper supplicii libello adjecta esse debebant illorum, qui quo demum cumque munere publico hisce in terris fungi volebant. Inter varia scripta, quae post ejus mortem in meas manus venerunt, inveni etiam notam, examinatos ab eo fuisse e lingua slovenica: D. Philippum Jacobum Rechfeld, Gymnasii Professorem, Doctorem Josephum Perko medicum districtuale[m], Ferlatti Josephum e Ronchis discipulum quartae classis Grammaticalis, qui primam eminentem classem retulit; porro Doctorem Josephum Maurovich medicum, qui die 26. Junii 1847 examen subiit, et Doctorem Paulum Antonium de Bizzaro jurisconsultum. Hos nominat illa nota, quae tales, qui examinati testimonia quoque retulerunt. Facile autem credi potest, plures alios adhuc fuisse ab eodem examinatos, quorum nomina vero non inveni ullibi adnotata. Taxa pro hujusmodi examine solvenda erat unus thalerus in specie vel duo floreni. Quid mirum itaque, si post annum 1848, cum jam publici magistri linguae slovenicae constituerentur, apud quos examen subiri poterat, noster Crobath nova rerum facie minus fuerit contentus? Erat et ipse anno 1818 auditor Francisci

Metelko Labaci, et qua talis pensum slovenicum „Nevošlivost“ magistro porrexit, subscribens nomen suum „Jože Krobat.“ Invenio praeterea duos sermones slovenico idiomate ab eo exaratos, quos anno 1824 in Ecclesia Parochiali S. Ignatii habuit, alterum videlicet in festo S. Joseph, alterum in feria sexta in Parasceve. Ad marginem prioris ipse adnotavit: *Dixi 19. Martii 1824. J. C. primus meus fuit sermo iste! ad S. Ignatii Goritiae.* Posterior sermo autem habet inscriptionem: *Pridga na Velki-petk. 1824. J. C. dixi!* Porro anno 1848 conscripsit tractatum de lingua slovenica, qui adhuc exstat, praeferens titulum: *Bendéšina*, una cum symbolo: *Nulla dies sine linea.* Retro vero: *Usak dan nekej, cum temporis notatione: 1848 Görz am 9. Martii Donnerstags f. ss. Cyrilli et Methodi Slavorum Macedonum.* Tractatum hunc germanice conscripsit, ut videtur, eo fine, ut praelectionibus inserviret; non terminavit eum vero, sed postquam ultimam partem ejus die 11. Sept. 1848 scripsit, de repente eum abruptit. Quum enim interim novae cathedrae pro lingua slovenica in Gymnasio Goritiensi jam esset provisum, ad eam ipse aspirare cessavit. Ultimum, quod slovenice conscripsisse videtur, est Allocutio Episcoporum: *Ogovor škofov,*) kateri cerkve ilirskiga kraljestva na krajnskim in pomorju vladajo, kakor so ga poslali zboru austrianske konštitucije u Kremsir na Marsko. Usokocastiti zbor.* itd. Videtur exspectasse, ut haec ipsius translatio in slovenicum idioma typis expressa publicaretur; cum vero istud factum non sit, in fine adjecit hancee notam: *Za čmu se*

*) Defunctus Crobath Bohoričica-m usque ad mortem tenaciter conservabat; ego hic modo usitata orthographia istud transcripsi, quum s longum typographia nostra non possideat, et in Bohoričica omnino necessarium sit.

brudiš brez prida?! u Gorici 8. dan Janvarja 1849. J. C. m/p. Breve quoque scriptum invenio slovenicum inter chartas ejus, quod incipit sic: *Pater Salvator prov resnično popisuje N. zamaknjeno iz Gore zravn Cirk nce, tokóle: U letu 1850 četerti dan Oktobra itd.* Atque in fine adnotatum legitur: *Gospod pater Salvator so nemško pismo čez zamaknjeno Nežico pisali od 28. Oktobra do 7. Novembra 1850. Jest J. C. pa sim po krajnsko popisov kar Nežico zadene: drugo nedeljo v Adventu ki je biv prazenk Dvice Marie čistga spočtja 1850. J. C. u Gorici.* Necesse non est, ad haec quidpiam addere; ista vero ad verbum citare volui, quia jam ex his paucis unusquisque facile videt, quo in stadio substiterit, quoad linguam nostram slovenicam, bonus senex.

Supersunt et apud me servantur quatuor fasciculi parvi, primus cum titulo: *I. Tiroler-Reise 1837.*; alter habet titulum: *II. Tiroler-eise 1838.*; tertius: *III. Tiroler-Reise 1840 u. Gratz-er-Ausflug im Jahre 1841*; et quartus: *IV. Tiroler-Reise 1842.* Visiones nimirum Catharinae Emmerich passionem et mortem Jesu Christi respicientes attentionem ipsius excitaverant pro extaticis personis; quia ergo cognovit, in Tyrolo quasdam virgines dari exstaticas, illuc proficisci decrevit, ut eas inviseret. Primum itaque iteſ in Tyrolum 45 diebus confecit, scil. die 17. Septembris 1837 Goritiâ Labacum, inde Glanfurtum, Leontium, atque Tyrolum petiit, ubi et in loco vulgo Kaltern dicto Mariam de Mörl, et in loco, cui nomen Capriana est, Dominicam Lazari invisendi occasionem et otium nactus est. Redeundo e Tyrolo Glanfurtum et Gracium primum abiit, dein Labacum repetiit, atque 31. Octobris Goritiam reversus est. Mox sequenti

anno 1838 secunda vice illuc proficisci voluit, ideo mox die 3. Septembris, finito anno scholastico iter ingressus, per Venetam regionem, transeundo loca Sacile, Cenetam, Bellunum, Caprianam venit, ubi debito tempore substitit, ut attentius Dominicam Lazari observaret; transiit inde ad invisendam secunda vice Mariam de Mörl, et pervenit usque ad Oenipontum, 28. Septembris Tyrolo relicto et varia loca intermedia visitans, tandem die 13. Octobris Goritiam reversus, diebus quadraginta et uno in hoc iter impenso. Quia vero tunc temporis imperator Ferdinandus per Utinum transiturus erat,*) mox iterum Goritia relicta Utinum se contulit, ut solemnitates praesens spectaret, quibus imperator in transitu honorabatur. Anno 1839 videtur quievise, nam anno demum 1840 tertium in Tyrolum iter suscepit, quod triginta octo diebus confecit, alia via ingressus, quam prioribus duabus vicibus. Tertia nimirum Septembris Goritiâ Tergestum abiens, inde Caprianam veniens, et postea in locum Kaltern, tertio visitatis extaticis Lazari et de Mörl, abiit Oenipontum; indeque Villacum, Raibel, Volzanam pertransiens, Goritiam reversus est die 10. Octobris. Anno 1841 exiguum et breve iter Labacum et Gracium tantum suscepit, a die 5. Septembris usque ad 29. ejusdem mensis e sua domo abfuit. Anno vero 1842 quartum et ultimum suum iter in Tyrolum suscepit, non tantum ad animum suum a laboribus scholasticis relaxandum, sed etiam ad extaticas personas quarta vice videndas et observandas. Ista vice totum iter triginta tribus diebus confecit, quod primo die Septembris ingressus,

*) Anno 1838, uti notum, Mediolani coronatus est rex Lombardiae et Venetiarum, sicque per Utinum transibat, ubi solemnissime exceptus fuit.

tertio vero Octobris jam Goritiam reversus erat, partim eadem loca tangens, quae in itinere praecedenti, partim vero alia, prius non visa. Praeter istos quatuor fasciculos, quibus haec itinera ipse sua manu ad diarii modum descripsit, duo alii parvi fasciculi ab ipso conscripti supersunt, in quibus tum de Tyrolis locis, tum de extaticis personis, praecipue de Maria a Mörl in specie plura refert, una cum chartis geographicis et topographicis Luc spectantibus, quas etiam ipse sua manu delineavit. Dixi, quartum iter in Tyrolum etiam ultimum ejus iter fuisse; quum enim, ut videtur in isto quarto itinere in Tyrolum, herniosus evasisset, ad ulteriora hujusmodi itinera ineptus factus est; quapropter ex illo tempore breves tantum excursions faciebat, uti v. gr. anno 1844 die nona Aprilis Utinum, et 16. ejusdem mensis et anni Tergestum, dein annis succedentibus modo Tergestum, modo Labacum et Carniopolim patriam suam, suosque consanguineos notos ac amicos invisurus repetitis vicibus petebat.

Inde ergo semper quiete domi se continuit, et suam Hermeneuticam et Introductionem in Novum Testamentum atque Exegesin suo proprio modo docebat. Singularis enim omnino dicendus est, nec sibi parem facile unquam habuit aut habiturus est quoad docendi modum, et quoad docenda ipsa, uti ipsa aulica studiorum Commissio agnovit et enuntiavit. Quia enim singuli Professores theologiae quotannis theses suas proponere tenebantur dictae Commissioni, ibi ipsae vel collaudabantur, vel autem necessariae monitiones inde Professoribus demittebantur. Tale rescriptum itaque, qua responsio ad propositas a Professoribus theologiae Goritiensibus theses, Aulicae Stud. Commissionis dd. 22. Martii 1827. N.º 1513. dicit: „dass sich sämt-

liche Thesen der Görzer Lehranstalt durch fleissige Zusammenstellung, umfassende Auswahl, zweckmässige Darstellung und deutliche Beleuchtung sehr vortheilhaft auszeichnen“, et in specie de thesibus Professoris Studii biblici Novi Foederis adjicit, „dass sie durch grössere Selbstständigkeit und *entschiedene Originalität* vor allen übrigen rühmlich hervorragen.“

Anno scholastico 1848 exeunte Canonicus Petrus Filley, qui tunc Seminarii Rector fuit, hunc Rectoratum dimisit. In ejus locum suffectus fuit Josephus Crobath, qui vero brevi tempore post huic honori et oneri renuntiavit, habuitque successorem Antonium Caffou, qui die 27. Octobris 1848 qua novus Rector Seminarii curam in se suscepit.

Anno 1855 die 25. Octobris professores seniores, Josephus Crobath, Jacobus Stibel et Antonius Caffou ab Archiepiscopo inter Consiliarios Consistoriales effectivos relati sunt. Verba decreti, quo Crobath Consiliarius Consistorialis nominatur, dd. 25. Oct. 1855. N.º 1510: „Praeclara merita, quae Tibi per indefessam jam pluribus decenniis durantem cleri junioris institutionem in Seminario centrali Goritiensi acquisivisti, meritis honoribus prosequi volentes, Te, admodum Reverende Domine! Nostrum Consiliarium Consistorialem cum omnibus praerogativis, quae ejusmodi Consiliariis ex consuetudine competunt, tenore praesentium nominamus etc.“ omnino vera dicenda sunt, et non merae phrases stylisticae, uti vel ex paucis hucusque dictis intelligi potest.

Post sexagesimum aetatis suae annum viribus corporis paulatim deficere incipiebat; imo et spiritu jam puerascere videbatur, uti frequens et saepe nimis clamorosus risus auditorum ejus tempore

praelectionum ipsius manifestare videbatur. Et certe ipse Crobath sensit, tempus meritae quietis sibi appropinquare, unde anno scholastico 1861 ad finem vergente Archiepiscopo oretenus dixit, propositum sibi esse, in fine primi Semestris anni 1862 suam cathedram relinquere. Itaque exeunte mense Octobri 1862 revera scholae valedixit, et annua pensione 630 florenorum V. A. donatus fuit. Mense Novembri dicti anni Professor Aloysius Zängerle studium biblicum Novi Testamenti tractare coepit.

Vita Josephi Crobath quatuordecim et ultra annorum, quibus adhuc vixit, monachi et solitarii vita esse videbatur. Omnia enim instituebat et peragebat certo ordine, ita ut semper eadem hora e lecto surgeret, matutinis precibus vacaret, sacrosanctum Missae sacrificium offerret, officium divinum persolveret, lectionem spiritualem susciperet, cibum sumeret et recrearetur, neque sine rationabili causa a semel stabilito ordine facile recederet.

In ejus diario de anno 1836 sequentem ordinem vitae sibi praescripserat, quem in primis tempore suae pensionis accuratius observare poterat.

Ordo vitae.

Mane.

- H. 6. Surgere. Preces matutinae. Lotio. Praeparatio ad Missam.
- h. 7. Missa et preces post Missam.
- h. 7³/₄ Refectio matutina.
- h. 8. Horae. Lectio spiritualis.
- h. 9. Italianum.
- h. 9¹/₂ Mystica.
- h. 10. Ambulatio. Ephemerides.
- h. 11. Miscellanea. Martyrologium.
- h. 12. Prandium.

Vespere.

H. 2. Vesperae cum Completorio.

h. 2½ Italianum.

h. 3. Mystica.

h. 3½ Matutinum cum Laudibus

h. 4½ Miscellanea.

Litaniae cum Benedictione.

Ambulatio.

Praetermissorum suppletio.

Coena.

h. 9¼ Preces vespertinae.

h. 9¾ Dormire.

Ita ipse. Quod diebus scholae ordo iste non omnino talis esse potuerit, re ipsa patet. Inprimis frequenter legebat passionem et mortem Jesu Christi, atque vitam ejusdem secundum visiones Catharinae Emmerich, cujus et breve compendium sibi conscripsit, quod una cum aliis scriptis ejusdem post obitum ejus ad bibliothecam Seminarii centralis Goritiensis devolutum est. Deambulationes non suscipiebat, saltem inde ab ultimo suo itinere in Tyrolum suscepto, herniae enim morbus, quo, uti diximus, ab illo tempore affectus fuit, non permittebat eidem longiorem conficere viae tractum. Si funus comitandum erat, aliquando interveniebat; etiam processiones in festo S. Marci, in Rogationibus, et in festo Corporis Christi, quamdiu cathedram suam adhuc retinebat, frequentabat, etsi non sine molestia aliqua*); alias quotidie paulo

*) Quum processioni in festo Corporis Christi interesse amplius non posset, domi suae instituebat „*devotionem privatam in festo Corporis Domini*“ sicuti in speciali scheda ipsius propria manu scripta invenio adnotatum hoc modo:

I. Litaniae Omnium Sanctorum.

Hymnus „Pange lingua“.

Salutatio Ss. Altaris Sacramenti.

ante meridiem egressus usque ad officium postale ire solebat et ephemeridem suam recipiebat.

Anno 1868 die 24. Septembris, qua olim anno 1818 primum Deo obtulit incruentum Missae sacrificium, jubilaum suum sacerdotale in gaudio spiritus celebravit.

Interim dies, menses et anni labebantur, atque imo aderant jam anni, de quibus homo dicere solet: *Non mihi placent* (Eccles. XII, 1.); quamquam Josephus Fried. Crobath melius aetatem suam valde propectam tulerit, quam credi potuisset. Corpore nimirum evaderebatur infirmior, animo vero semper hilarius, et fide atque spe in Domino collocata semper gaudens, quocumque eum tempore quis invisebat, inveniebatur. Nam dum qui malam habet conscientiam, semper timidus est, *semper enim praesumit sacra perturbata conscientia* (Sap. XVII, 10.), Crobath seniculus, pius, et devotus, diem et horam transitus sui hilari animo et vultu praestolabatur, atque suo exemplo demonstrabat veritatem sententiae sapientissimi Salomonis: *Secura mens*

II. Litaniae de Venerabili Sacramento.

Hymnus 2. „Cessant“.

Salutatio ect.

III. Litaniae sacerdotales.

Hymnus 3. „Sacris“

Salutatio etc.

IV. Litaniae Sacerd. Sancta Maria.

Hymnus 4. „Sic amas“.

Salutatio etc.

Te Deum.

18 J. C. 76 Goritiae 15. Junii.

Sicuti nimirum quater in processione subsistitur et benedictio datur cum Sanctissimo, ita privatam istam devotionem suam in quatuor divisit partes.

quasi jure convivium (Prov. XV, 15.). Etiam tum quum post plures, ut videbatur, leves infirmitates, mense Junio 1875*), ergo octogesimo vitae suae anno ita viribus corporis aetate confecti defecisset, ut in lecto decumbere cogeretur, nec amplius e domo egredi posset, animi hilaritas et serenitas, quam ad ultimum vitae momentum conservabat, nec vel ad breve tempus eum dereliquit. Quum ipse Missae sacrificium amplius offerre non posset, quotidie tamen in Missali suo relegabat totam singulis diebus et festis convenientem Missam, atque spiritu conjungebat se cum sacerdotibus tunc celebrantibus. Quando tantum viribus convaluit, ut iterum e strato surgere posset,**) diebus festis imprimis, in Ecclesiam suae habitationi proximam S. Antonii Patavini se conferebat, Missae sacrificio intererat, et sacram Comunionem recipiebat. — Quia membrum erat sodalitates „del pio Sovegno“ dictae, jam die 25. Augusti 1875 subsidium 24 flor. ab eadem accepit. Dein vero eadem sodalitas eidem centum florenos annuos assignavit, quos usque ad obitum suum percipiebat. En, qua ratione epocham scripsit:

*) In diario suo sub die 22. Junii 1875 adnotavit: Krank! Die vero 23. ejusdem Junii: „Gentili gekommen. **Breviarii et Missae finis.**“ Et die 30. ejusdem: „Sequuntur dies Tribulationis a Nemine cognitae=verbo: dies affixionis pedis dextri, non adhibendi usque ad annum 1876 mense Junio!!! hinc diarii notatio emansit Anno 1876 nachgehohlt und confrontirt bis zum 20. Julii.“ Ad diem 1. Augusti 1875 adnotavit: „Vomitus nimius atque salivae excedentis eructationes per biduum diu noctaque“. Dein 4—14 Augusti: „Infirmitas perseverat ignorato purgante apto.“

***) Ad diem 20. Augusti 1875 notavit in suo diario: „Reconvalescentia mea vita prolongata et viribus redeuntibus D. G. et M. H.“

Empfangschein.

Unterzeichneter bezeuget hiermit, dass er vom löblichen S. Johannis Nepomuc. Vereine del pio Sovvegno genannt, die erste Hälfte der Priesterunterstützung pr. 50 fl. V. A. ab 1. Julii 1876 usque ad finem Decembris 1876 ablaufenden erhalten hat, wofür sein gebührender Dank an alle Herrn gefühlvoll stimmenden Mitbrüder zugleich ausgesprochen ist.

Görz am 1. Julii 1876.

Joseph Crobath m. p.
Priester und Mitbruder.

Hoc modo toto anno 1876 transacto, initio currentis anni ad finem vitae suae immacolatae (liceat mihi, quod sentio, etiam eloqui), et meritis plenae pervenit. Omnibus Ecclesiae Sacramentis rite munitus, placide in Domino obdormivit die quinta Februarii 1877, hora nona et dimidia matutina, anno aetatis suae octogesimo secundo. Quae possidebat, nepti suae Johannae Crobath, quae pluribus abhinc annis ei fideliter servivit, testamento reliquit. Servivit ei inde a die 7. Julii 1862. Antea inde a 6. Septembris 1827 usque ad diem 9. Decembris 1861, nimirum triginta quatuor annis et tribus mensibus, sive ad usque mortem suam, alia ejusdem consanguinea, quae vulgo Mina vocabatur, eidem fidelissime serviebat.

E testamentariis ejus dispositionibus lubet memorare, quod praeter solitas exequias, missasque in suffragium animae ipsius celebrandas, haeredi mandaverat, ut triginta tres Missas in memoriam 33 annorum vitae Jesu, septem in memoriam do-

lorum Beatissimae Virginis Mariae, et quinque in honorem quinque Vulnerum Christi, in sua patria celebrari faceret. Omnia opera geographica, quae in sua bibliotheca possidebat, nec non itineraria et mappas geographicas, atque potioem partem Manuscriptorum suorum legavit bibliothecae Seminarii centralis Goritiensis; partem librorum, inprimis qui Gymnasio convenirent, legavit Seminario puerorum Goritensi; reliquos libros ferme omnes autem tradi jussit bibliothecae Seminarii theologici Labacensis, quia, uti ipse rationem hujus dispositionis indicavit, ibidem scientias theologicas addidicerat. Ad funus ejus, ad vesperam diei 6. Febr. institutum, praeter duas neptes ejus, loculum immediate sequentes, omnes theologiae Professores una cum omnibus Seminarii centralis alumnis, sodalitas „il pio Sovvegno“ dicta, RR. PP. Capucini et Franciscani, nec non Fratres Misericordiae, alique quam plurimi tum e Clero, tum laici convenientes usque ad sepulchrum comitati sunt, ita debito honore prosequentes bonum et vere pium senem, qui plenus dierum et in senectute bona ad patres abiit. Sodalitas „il pio Sovvegno“, cujus membrum longissima annorum serie Crobath fuit, nuncium obitus ejus hoc modo superstitibus membris misit:



Josephus Crobath

CARNIOPOLI IN CARNIOLIA

DIE 4. MARTII 1795 NATUS, INDE AB ANNO 1818

PROFESSOR STUDII BIBLICI N. T.

ANNO 82. AETATIS SUAE DIE 5. FEBRUARII 1877

PIE IN DOMINO OBDORMIVIT.

Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. (Dan. XII, 3.)

R. J. P.

Vir omnino singularis dicendus defunctus Josephus Fridericus Crobath, Chrobath, Krobat, (vel, uti rectius scribendum est, Hrovat); omnibus enim hisce diversis modis nomen tum ab ipso, tum ab ejus professoribus, uti apparet ex inspectis testimoniis scholasticis, scriptum fuit. Neque res facilis est, eum ita depingere verbis sive describere, ut quilibet totum ejus characterem perspectum habere possit. Folium nostrum periodicum Archidioeceseos Goritiensis paucis quidem, sed verissimis verbis eum hoc modo descripsit: „Hoc eodem mense Februario ineunte, die scil. 5 extremum spiritum egit Rmus. Consil. Consist. effect., D. Jos. Crobath, qui supra quadraginta annos cathedram Novi Fedoeris in Seminario nostro tenuerat. *Vir candoris et pietatis plenus, pari religione vitam clausit; diutinam quippe infirmitatem, qua ultimo attritus est, patientissime toleravit, ita ut exemplum singularis pietatis et in Deum resignationis relinqueret*“. (Fol. Februarii 1877. pag. 32.)

Pietas ejus erga Deum, B. V. Mariam, omnesque Sanctos, uti ex supra expositis elucet, atque ex mox dicendis magis adhuc elucebit, vere magna fuit, non tantum postquam sacerdotio initiatus fuit, sed etiam antea, quum adhuc inter Clericos non fuisset adscriptus. Verum de his superius jam aliquid praevisse adnotavimus, quum nimirum de tempore loqueremur, quo tribus annis Gracii philosophiae operam dabat; hic sequentia adhuc adjicimus, quae data occasione de eo litte-

ris commendavi, sunt vero sequentia: „Magnam ejus pietatem colligimus ex pluribus. Etsi enim ad sacra exercitia spiritualia nostra nunquam personaliter accesserit, ob suas speciales corporis infirmitates, domi tamen quo poterat modo illa peragebat non semel tantum, sed saepius: Nec alium in finem, ut suspicor, Exercitiorum anno 1854 subeundorum ordinem exactum sibi descripsit, quam ut ipse quoque, quum corpore non posset, spiritu tamen nobiscum conjungeret se, et meditaretur. Ob singularitates ipsi tantum proprias, quas huic a se et in suum usum descripto exercitiorum anni 1854 ordini praemiserat, observationes, saltem ex parte, hic exempli gratia communico. Ita videlicet se habent: „*Exercitia spiritualia*. Initium. Exercitandus *quinque localia* Seminarii praenoscat, ut „illa decenter percurrere sciat: nam dietim fruetur Dormitorio 3 vicibus, Asceterio 5, Cappella „8, Refectorio 3, et Recreatorio sive Secessu pariter 3 vicibus. Igitur die lunae 25 Septembris 1854 „ingressus Seminarium videat suum Dormitorium, „Asceterium, Cappellam, Refectorium et Secessum, „etc.“ — In singularibus libellis sua propria manu descriptis habuit in suum usum modo „Novena dell'Immacolata Concezione di Maria Santissima“, modo „Novenam Nativitatis Domini nostri Jesu Christi“ (quam die 24. Julii 1840 sibi descripserat); modo „Betrachtungen aus der geistlichen Betrachtungs-Uhr abgeschrieben“ (in cujus fine adnotatum legitur: Finivi die 19. Decembris 1846. Sabbatho ante Dominicam IV. Adventus); modo est „Praeparatio ad Missam et gratiarum actio post eam“, huicque libello similiter manu sua adjecerat scripto, quid faciendum vel dicendum ac orandum: *horam campanâ sonante, ante quodvis*

opus, ante egressum e domo, ingrediendo in templum, post egressum e templo, ante studia etc. etc. In aliis libellis sua manu scriptis habuit expositionem litaniarum B. V. Mariae, et Omnium Sanctorum, atque hujusmodi plura inter scripta ejus reperio. Idem, nimirum quam fuerit pietati deditus, testatur unum quaternionis folium, in quo majoribus litteris hocce suspirium scripsit: „Sancti Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, cum sancto Gregorio Nazianzeno, orate pro me! Immaculata Virgo Maria Dei Genitrix, instrue puerum tuum!“

Ego quidem admirabar ejus pietatem singularem, quum adhuc Seminarii alumnus ac ejusdem discipulus essem. Initio anni scholastici in invocatione Spiritus Sancti, nec non in gratiarum actione exeunte anno, quum una cum reliquis Professoribus Missae solemniter interesset, horas ut plurimum diurnas recitabat, quibus finitis coronam proferrebat atque Rosarium orare solebat. Sic quoque in funere Jacobi Stibiel, qui die 20. Junii 1861 mortuus, die 22 ejusdem mane ad sepulturam efferebatur, post feretrum cum reliquis Professoribus Crobath et ego sequebamur. Ut erat homo bonus et simplex Crobath, quum per viam Rastelli, Monialium, et Municipii graderemur funus comitantes, Crobath protracta Corona Rosarium per totam viam istam recitabat, ipso facto damnans abusum multorum, qui mortuum ad coemeterium comitantes sive in processionibus et publicis supplicationibus in via semper colloquendo et garriendo scandalum potius populo dant, quam aedificationem.

Quamdiu potuit, in Ecclesia Metropolitana, aut vero Parochiali S. Ignatii omni dominica et die festo Missae interfuit solemniter. Feriam quintam in

Coena Domini autem in Ecclesia RR. PP. Franciscanorum in Castagnavizza transigere solebat.

Inveni inter alios libros ejus etiam libellum, cui titulus: *Institutiones ad clericos ordinandos editae jussu Ill. et Rm. D. D. Bartholomaei Gradonico Archiep. Utinensis, Utinis 1763.* Ante libelli hujus initium sua manu adnotavit: „Ab anno „1871 usque ad 1874. 30. Augusti usque ad 7. „Sept. Novena et Exercitia Spiritualia; a 9. usque „ad 23. Septembris 1871: Resuscitatio sive *Ἀναξωπύρησις* 2. Tim. I, 6. 7.“ Ita nimirum sua Exercitia spiritualia nominare solet, quasi resuscitationem gratiae, quam recepit per impositionem manuum Episcopi consecrantis. Ex adnotatione ibidem adjecta: „*inde a 1857 ἀναξωπύρησις*“ conjicio verosimiliter omni anno eum haecce exercitia renovasse.

Ultimis decenniis vitae suae etiam dies anniversarios suae Ordinationis observabat. Hunc in finem in eodem mox memorato libello sequentem fecerat adnotationem: „Josepho Crobath conferebatur 1) „Tonsura et quatuor minores ordines anno 1814 „die 28. Novembris, fer. 2. post Dom. I. Adventus. 2) Ordo major, sanctus Subdiaconatus anno „1818 die 13. Septembris Dom. XVIII. p. Pentec. 3) Sanctus Diaconatus ordo anno 1818 die „19. Sept. Sabbato quatuor temp. autumn. 4) „Sanctus Presbyteratus Ordo anno 1818 die 21. „Sept. f. s. Matthaei cum dispensatione 5 mensium „et 13 dierum. 5) Primitiae anno 1818 die 24 „Septembris fer. 5. festo B. Mariae V. de Mercede „in Cathedrali Labaci Missa cum Expositione Ssmi „mane hora sexta.“

Porro in libro, cui titulus: *Thesaurus sacerdotum et clericorum. Venetiis 1822.* cui notam ad-

pósuit: Româ anno 1825 allatum et mihi J. C. datum Memoriale P. Ferdinandi Wonzha Joseph, sequentia scripsit:

Anno 1834.

Deus siccitate horribili populos visitabat Europae. Goritienses in illis tribulationibus a Domino pluviam salutarem petentes octo processionibus publicis implorabant auxilium ex alto, quod admirabilis Pater de coelis adfluenter depluit: etenim gramen in principio Augusti Goritiae penitus arefactum exustumque quamvis esset, in principio Septembris sicut verna viriditas exorta nobis divitias ac misericordias Magni Regis praedicabat.

- Processio I . . . 16. Junii die lunae in Castagnavizzam ex Cathedrali.
- ” II . . . 24. Junii die Martis ad S. Rochum ex parochia S. Ignatii.
- ” III . . . 25. Junii die Mercurii ad Capucinos ex Plazzutta.
- ” IV . . . 26. Junii die Jovis in Castagnavizzam e S. Rocho.
- ” V . . . 14. Julii die lunae in Castagnavizzam tres parochiae, item post meridiem mulieres cum parvulis in Castagnavizzam exeuntes.
- ” VI . . . 21. Julii die lunae Processio Reliquiarum Cathedralis ad Ecclesiam S. Ignatii.
- ” VII . . . 29. Julii die Martis Ellersig Cooperator S. Ignat. cum populo ascendit in Montem S. hora 4. mane.
- ” VIII . . . die 1. Augusti die Veneris Processio in duo Coemeteria Goritiae in suffragium dormientium in Domino.

Mirum: die 31. Julii fer. 5. finita, vesperis primis feriae sextae dabant campanis signum subsecuturae Processionis, et eodem tempore fulgura de mari promittebant pluviam, quam post Processionem pro animabus defunctorum peractam Dominus quinquies effundere dignatus est. — Omnia ista in libro memorato „Thesaurus Sacerdotum et Clericorum“ uti dixi, adscripta inveniuntur ipsius propria manu. Multarum Processionum anni 1834 ego quoque satis bene recordor, qui tunc frequentabam quartam Gymnasii classem hic Goritiae.

Haec pauca, una cum illis, quae jam in praecedentibus dicta sunt, satis ostendunt, quantam impenderit curam, ad animam suam magis magisque purgandam, juxta monitum illud: *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus, sanctificetur adhuc* (Apoc. XXII, 12.); et unum necessarium eum semper prae oculis habuisse.

Qui timet Deum, ait sapientissimus regum, *nihil negligit* (Eccles. VII, 19.) Cum fuerit Josephus Frid. Crobath tam pius et timeus Deum, etiam in adimplendis suis officiis diligens, imo diligentissimus fuit, ut spiritum verè ecclesiasticum auditoribus suis pro posse inspiraret. Symbolum (Wahlspruch) ejus fuit illud s. Paciani Episcopi Barcinon. (epist. 1. ad Semproniam): „*Christianus* mihi nomen, cognomen *Catholicus*.“ Unde respuens Hermeneuticam biblicam Joannis Jahn, quae tunc praescripta fuit in scholis theologicis, atque Introductiones quascumque in libros sacros Novi Foederis, qui libri vel apertis erroribus scatebant (novimus enim, ob aliquos errores tum Archaeologiam biblicam dicti Jahn, tum ejusdem Hermeneuticam biblicam et Introductionem in libros sacros Veteris Testamenti, ab Ecclesia in Indicem librorum pro-

hibitorum esse relatas) atque jam ideo minus apti scholis erant, vel saltem non satis manifeste catholici ei videbantur; ideo et prorsus novam Hermeneuticam biblicam tradendi rationem excogitavit, et Introductionem in Novum Foedus suo peculiari modo construxit. Exstant plura exemplaria, omnia manu scripta (numquam enim typis expressa sunt) ejusdem Hermeneuticae, variis temporibus conscripta. Semel enim coeptum opus continuato studio per annorum, imo decenniorum decursum, magis magisque perficiebat et perpoliebat, sicque sua manu patientissime repetitis vicibus descriptum habetur. Duo inprimis talia in librum ligata exemplaria extant, quorum prius titulum habet: *Hermeneutica biblica paragraphis adumbrata exemplisque illustrata J. C.* (i. e. Josephi Crobath). *Goritiae anno salutis 1822. mense Decembri.* Primis itaque annis modo quo in isto libro continetur, Hermeneuticam docuit. Sequentibus porro octo annis eandem magis perfecit, sicque jam perfectiorem alter liber continet, cui praefixit titulum: *Hermeneutica biblica generalis Paragraphorum summis adumbrata Exemplisque illustrata. 18 J. C. 30.* Alia adhuc hujus Hermeneuticae exemplaria adsunt non ligata, ipsius manu exarata, magnam ipsius assiduitatem et diligentiam attestantia.

Eodem modo etiam Introductionem in libros sacros Novi Testamenti conscripserat sibi, cujus etiam, sed non ligata in librum, aliquot exemplaria extant. Et idem dicatur de Evangeliiis. Mox enim ab initio, quum cathedram Novi Testamenti conscendisset, propriam quatuor Evangeliorum harmoniam pro scholae usu confecerat sibi, quam vero postea e visionibus A. Catharinae Emmerich, quam summe venerabatur, perfecit et emendavit. Unde

etiam hujus operis duo libri ligati, ipsius manu descripti diligentissime, nunc in nostri Seminarii bibliotheca asservantur, quorum recentissimus istam gerit inscriptionem: *Syntagma evangelii theopneusti collatum cum Itinerario illius mystico secundum A. C. Emmerich. authore Josepho Crobath professore Studii biblici Novi Foederis emerito. Goritiae 1865.* En hujus syntagmatis conspectum, uti habetur in ejus libro:

Conspectus Evangelii.

Regnum Dei evangelizat Jesus Christus, *parte I.* THEANTHROPUS: Prologi sectione prima: Generatione: respectu 1) Praecursoris 2) Christi; sectione secunda: Nativitate: respectu 1) Joannis, 2) Jesu; sectione tertia: Ostensione: respectu 1) Joannis Baptistae, 2) Jesu Christi.

Parte II. PROPHETA: Octo praeconia Jesu Christi Prophetarum. *Sect. prima:* Chanaan: 1. Pascha, 2. Aennon, 3. Sichar, 4. Regulus. *Sect. secunda:* terra Nephtalim: 1. Nazareth, 2. Capharnaum, 3. Mare, 4. Desertum, 5. Mons. *Sect. tertia:* Naim — Litorale: 1. Esdreton, 2. Blasphemi, 3. Parabolae Maris, 4. Geraseni. *Sect. quarta:* terra Zabulon: 1. Jairus, 2. Patria, 3. Septuaginta, 4. Apostoli. *Sect. quinta:* Machaerus — Litorale: 1. Ennorum et Pascha, 2. Machaerus, 3. Saturatio. *Sect. sexta:* Decapolis: 1. Phoenicia, 2. Magedan, 3. Caesarea Philippi, 4. Tabor, 5. Parabolae terrae. *Sect. septima:* Peraea: 1. Capharnaum, 2. Samaria, 3. Bethabara. *Sect. octava:* Scenopegia: 1. Scenopegia, 2. Encaenia.

Parte III. REDEMPTOR. *Sectio prima:* Ante Passionem: 1. Jericho, 2. Lazarus, 3. Ephrem,

Sectio secunda: Passio: 1. Triumphus, 2. Profanatores, 3. Potestas, 4. Judas, 5. Coena Domini, 6. Parasceve, 7. Sabbatum, 8. Resurrectio. *Sectio tertia*: Post Passionem: 1. Sion, 2. Galilaea, 3. Mons Oliveti.

In praefatione ad istud Syntagma evangelii inter alia sic loquitur: „Jam vero procedamus ad „Indicem Syntagmatis Evangelii, in quo Memorabilia evangelizantis Jesu Christi..... exhibentur „addita notatione locorum, temporis et personarum „secundum Visiones historicas A. C. Emmerich „mutuata..... Evangelistae Dei, dogmatico morale documentum divinitus inspirati καθεξῆς scripserunt; Emmericha autem, Dei peculiari gratia, Visionibus historiam spectans, Itinerarium evangelizantis Jesu Christi χρονικῶς pio Clementi Brentano enarrans humanitus locuta est: quamvis longe sapientius, ac Interpretes Ψυχικοί fabulantes. Si ergo tibi licet atque placet, adire Commentarios atque Scholia Hermeneutarum, non raro dissipantium; quis me prohibebit, consulere „Prophetidem atque Videntem?! Nonne in regno „Dei exstiterunt Prophetae atque Videntes? 4. „Reg. XVII, 13. Num ignoras Semejae Prophetae, „et Ado Videntis libros celebrari 2. Paral. XII, „15.? Et Josias, pius rex Juda non erubescerat, „consulere Dominum per Holdam Prophetidem, quae habitans in Jerusalem respondit: *Haec dicit Dominus Deus Israel.* 4. Reg. XXII. Talia ante „Christum; post adventum Jesu Christi vero Prophetas habuit ecclesia Antiochena Act. XIII. non „minus quam Corinthia 1. Cor. XIV. Immo ipse „Joel II. et Siracides XXIV. praenuntiaverunt dona Spiritus Sancti, fidelibus utriusque sexus in „Ecclesia Catholica passim data, contestante histo-

„ria theologiae Mysticae, lege s. Hildegardis Hep-
 „tachronon de saeculo XII. et Visiones A. C. Em-
 „merich.“ — Volui istud, etsi aliquantum longius
 sit, hic citare ad verbum, ita enim spiritus Jo-
 sephi Crobath facilius cognoscetur. In hujus itaque
 libri fine ita se subscripsit: *Goritiae 19. Maji*
1865 consummavit laborem 3. Februarii 1865
inchoatum Josephus Crobath m. p. prof. studii bi-
blici N. F.

Exstat porro fasciculus, cui praemisit titulum:
Initium Exegeseos N. F. anno 1818/9 ex Nimes
depromptum; exinde per annos 44 quotidianis)*
perfectum, donec Visionibus devotissimae Emmeri-
chae A. C. plenissimo historiae lumine illustraretur.
Goritiae 6. Januarii 1863. Continet vero Conspe-
 ctum Exegeseos Evangeliorum inter se comparatorum.
 Atque ad calcem opusculi adnotavit haecce: „SE-
 CUNDUM HANC ADUMBRATIONEM EX NIMES
 SUMPTAM ANNO 1818/9 COEPI TRACTARE
 EXEGESIN 1852 J. C. Goritiae in clariorem or-
 dinem tabulam Exegeos Evangelii redegei anno 1853
 die 9. Octobris, postquam anno 1852 Exegesin
 LIV Scholiis qua §§ distributam in Evangelium
 conscripseram *Chronicon Evangelii* Sepp'ianis im-
 pietatibus ac somniis irritatus defendere coepi 6.
 Augusti et XII foliis impletis die 11. Januarii
 1848 finivi, deinde autem quotannis recensens or-
 dinem Memorabilium Hagiographicum et Ecclesia-
 sticum usque ad 9. Maji 1858 decima vice per-
 lectum. *Tunc* postquam omnes quinque tomi Visio-
 num A. C. Emmerich comparuerunt: cognovi Or-
 dinem Evangelii hucusque mere chronologicum nul-
 libi cognitum fuisse. J. C. 28. Octobris 1861.“

*) Deest vocabulum *curis* vel *studiis*, aut simile his,

Chronicon Evangelii hic memoratum quod at-
tinet, in fine quasdam adnotationes a Josepho Cro-
bath adnexas habet, quas, ut mihi videtur, operae
pretium erit hic cum lectoribus communicare, quo
magis cognoscatur et patescat viri hujus singularis
spiritus. „Die 6. Augusti 1853 — ita adnotavit—
recordatus pristini fervoris anno 1847 — die 8.
Augusti 1853 lectione tabulae Exegeseos Evangelii
Chronici decisà, formam ejus (tabulae) volutoriam*)
coepi meditari, et juvante Deo usque ad 9. Octo-
bris 1853 eandem elaboravi J. C. Goritiae 29.
Novembris 1853.“

Dein rubro colore adjecit: „Heu! adventanti-
bus autem tribus libris in Evangelia a Fr. X. Fa-
britio Friburgi Bresgoviae editis commota sunt vi-
scera mea denuo: hinc Vigiliâ S. Thomae suscepi
„Chronicon Evangelii Jesu Christi secundum Ec-
clesiae monumenta“ digerere. 1853.“

Tum iterum atramento notata sunt sequentia:

„Die 30. Maji 1854. finita est lectio Vindi-
cationis hujus Chronici sexta vice relecti ac re-
censiti.

„Anno autem 1855 die 5. Augusti vespere
septima lectio atque recensio Chronici Evangelio-
rum Deo dante fortitudinem perfecta est: et re-
cordatione anni 1847 diei 6. Augusti facta,

„anno 1855 die 6. Augusti Chronici praefa-
tione lecta initium lectionis nonae, recensio-
nis vero lectionis octavae initium dabatur 4. Decembris
1855, finis vero 1. Junii 1856 factus est.

„Anno 1856 die 4. Decembris Praefatione
perlecta et correctâ initium dabatur lectioni Chro-
nici decimae, recensio-
nis vero nonae, quarum novus

*) In Gestalt einer Rolle, hocque volumen etiam possidemus.

fructus rigorosa computatio Memorabilium 460 Evangelii et ratio, quae Memorabilia quater, quae ter — quae bis parallela, — quae autem solitaria ab Evangelistis describebantur.

„Anno 1857 die 6. Augusti feria V. recordatio pristinae ad JESUM SALVATOREM protestationis cum precibus tertiam suadebat Sancti Evangelii transcriptionem, quia scriptum est: „Qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc“ Apoc. XXII, 11. J. C. qua praetermissa, Studii theologici Confusione coortâ Hermeneutica Bibl. semiviva scribebatur, ne periret. Chronicum vero die 9. Maji 1858 vice decima perlegebatur.

„Confusionibus Mundi Deus opposuit Visiones Annae Catharinae Emmerich, ex quibus Evangelica Memorabilia obtinerent lumen, quale perperam quaeris in exegesibus intelligentia humana novemdecim saeculis exaratis. Visiones istae Itinerarium Evangelii, nunquam sat digne celebrandum, tibi offerunt, Genealogiae, Chronologiae et Geographiae respectu miro modo clarescens: unde Memorabilia Novi, et adeo etiam Veteris Testamenti solutionem et illustrationem accipiunt hucusque inauditam. Et quemadmodum divus Paulus Romanis disputans XI, 17. de oleastro inserto olivae, ita Visiones Emmerikae Veteri Testamento insertum Evangelium exhibent, non enim Evangelica tantum leges Memorabilia, sed quam plurima Veteris Testamenti per Pharaschas et Haphtaras in Synagogis legi solita synoptice commemorantur et varia loca ab Exegetis huc usque non resoluta atque problematica explanantur modo admirabili. Tempus utique Calendarium Judaicum olim ordinatum sequitur, et differt ab Ecclesiastico ordine non historico sed

festivo, quod te non movebit: dum modo chronologiam hoc in saeculo nos non assecuturos, cum toties reformata sit a Judaeis non minus quam a Christianis. Cfr. 25. Dec. Mart. Rom. et 29. Aug. Decoll. S. Joan. Bapt.“

Pristinam ad Jesum Salvatorem protestationem intelligit sequens suspirium, ipsum quoque litteris consignatum et „Chronico Evangelii“ adjectum: „Jesu dulcissime! Deus meus et Dominus meus! Tu es Christus Filius Dei vivi! Ad quem ibimus? verba vitae habes! Tu heri et hodie, Ipse et in saecula! In Tua Vulnere quinque, adorans depono quinque capita Evangelii tetrablici Tui; ut quisquis Credentium secundum Ecclesiam Dei Catholicam Te Filium Dei et Hominis, Prophetam ac Redemptorem — qui via, veritas, et vita es — confiteatur, adoret, revereatur, et amans Judicem expectet. Amen! I. Non concinuerunt homines unquam, sicut Evangelistae Θεοπνευστοι quatuor. II. O admirabilis Matthaeae, Levi Alphaei, quis digne mirabitur Evangelii tui stupendam dispositionem in se sumpti, atque cum tribus collegis consonantiam collati? III. Sancte Marce, divinum Christi Memorabilem a te Θεοπνευστῶς conscriptorum nonnisi adoro Evangelium. IV. O Luca, medice languentis animae, quod de Jesu humanitate ac benignitate divinitus inspiratus adumbrasti systemate inenarrabili, potabo in perpetuas aeternitates gratanter. V. Sancte Joannes discipule, quem diligit Jesus Christus Filius Dei et Salvator mundi, exora mihi charitatem, qua in Jesum ardebas et Mariam Deiparam Virginem sine fine. Igitur quatuor Dei Evangelistae nec mutuo collati contra tempus impegerunt historiographi unquam; nec seorsim considerati ullo vel tantillo historiae naevo laborant.

Matthaeus enim pragmatico-chronologico ordine Christi Galilaeae Prophetae Memorabilia enarrat — Lucas synchronismi amans Baptistam et Christum, Apostolos et Septuaginta duos veneratur. Joannes autem theologus in festivali Jesu Salvatoris sui et mei descriptione congaudet. Cuncti *Θεοπνευστοι*, omnes et singuli originales ex unica Spiritus Dei suggestionem hauserunt scribentes.

Goritiae die 6. Augusti, f. Transfigurationis D. N. J. Chr. 1847.“

Porro, nullatenus praetermittenda sunt duo Volumina in parvo folio atque compacta, Epitomen continentia Visionum historicarum Annae C. Emmerich, *opus ultimum* defuncti Josephi Crobath, quod rogatu et ad instantiam Rmi D. ris Josephi Schneider, Praepositi Tergestini, conscripsit, eique titulum et praefationem praemisit sequentem :

Tolle ! Lege !

Ecce ! habes Epitomen „Visionum historicarum“ Emmerich Annae Catharinae, sponsae Jesu, monialis Dülmensis,

quas

Brentano Clemens (Peregrinus ab illa dictus) exacte ab Augustiniana Moniali exceptas conscripsit, et ordinatas partim vel ipse (Passionem Domini nostri Jesu Christi) vel haeredes ejus, cognata (Vita Beatae Mariae Virginis) vel celeberrimus Schmöger (Vita Jesu Christi tomis I. II. et III.) indefesso labore typis promulgavere idioma originali teutonico. Porro auctor Epitomen latine intra biennium exaratam nominare maluit titulo sequenti

ITINERARIUM JESU CHRISTI EVANGELIZANTIS
regnum coelorum.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

Complectitur opus istud (ita prosequitur), tria segmenta: Prologum — historiam Itinerarii — atque Epilogum. Visum est epitomatori, Prologum seorsim ligari, propter frequentiore illius lustrationem, quamvis paginae illius 36 praecedentes cohaereant cum Itinerarii historia.

Est autem (sunt semper verba Josephi Cro-bath) oeconomia totius libri, diffundentis sese in paginas 309, sequens: Prologus historiae tria momenta tibi exhibebit, puta: chronologiam — geographiam — atque genealogiam. Hic Calendarium annorum trium Jesu evangelizantis, etiam Index tibi erit memorabilium subsequentis historiae a pagina 36 usque ad 309 legendae. Clausula Prologi duo indices Personarum atque Locorum sunt tibi.

Porro!

Quoniam theopneustum Jesu Christi Evangelium in tres partes ab hagiographis distinctum est, quarum prima (fundamentalis) Christum Theanthropum substernit, quasi radicem Palmae Domini Jesu: praeterea quum a cunctis Evangelistis parte secunda exhibetur „Jesus Nazareus vir Propheta potens in opere et sermone coram Deo et omni populo“: denique quia tertia pars Evangelii Christum Redemptorem enarrat, „quanta ipsum oportuit pati et ita intrare in gloriam suam“: non miraberis Bibliophile!

quando quidem et Epitomator hagiographos secutus, historiam Itinerarii evangelizantis Jesu Christi secundum Emmerich'am congruenter disposuerit: hinc leges parte

I. Theanthropiam Jesu Christi respectu 1) generationis pag. 37—42. 2) nativitatis p. 42—56. et 3) ostensionis p. 57—71.

II. Prophetiam Jesu Christi pag. 71—194.

III. Redemptorem Jesum Christum (assumptionem Ejus) ante Resurrectionem p. 194. et post Resurrectionem p. 274—309.

Tandem

totum Volumen claudent geographicae adumbrationes omnis generis Localia exhibentes.

Dixi! Scripsique! J. C.

Haec ipse. Ad calcem totius operis subscripsit:

Deo gratias!

finivi Itinerarium Jesu Christi I. Theanthropi II. Prophetiae et III. Redemptoris secundum Visiones historicas Cath. Annae Emmerich, inchoatum anno 1871 mense Octobri, continuatum juvante Deo anno 1872, et tandem anno 1873 die 15. Julii festo divisionis Apostolorum consummatum Goritiae,

Josephus Crobath

annos 78 et menses quinque natus.

Geographiam, et topographiam, imprimis urbis Jerusalem, penitus cognoscere volens, quotquot invenire potuit mappas et descriptiones partim coëmit, partim ipse sua manu descripsit, excerpit, ac delineavit.

Neque hic tantum stetit Josephi Crobath studium ac diligentia, sed quia bis Veteris Testamenti Professore supplebat, et semel Professore theologiae dogmaticae, sicuti superius expositum est, in hisce quoque plura praestitit, quae in scriptis relictis apud nos habentur. Ita hebraica grammatica diffusior adest, quam elaboraverat, quum secunda vice per longius temporis spatium cathedram Veteris Testamenti suppleret. Tunc conscripserat

etiam *Exercitium exegeticum in libros Regum*, parallelam exhibens cum Paralipomenis historiam; sicut et expositionem pericoparum e textu originali hebraeo; et *Introductionem in libros sacros Veteris Foederis*, cujus tamen aliquot quaterniones desunt. — E tempore porro, quo theologiam dogmaticam mensibus quatuordecim provisorie docebat, supersunt duo fasciculi, *Quaestiones ex Dogmatica*, 1828, inscripti, item alii decem fasciculi de anno 1829.

Habemus et parvum fasciculum, quem inscripsit: *Obumbratio maximarum curarum, quibus Vulgata Sixto-Clementina Editio produit. J. C. Novembri finitum 1835. Exercitium litterale.*

Verum, si singula ejus opera et opuscula ipsius manu diligentissime exarata hic nominare ac indicare vellem, quae numerantur circiter quadraginta, et nimis longus fierem et taedium lectori crearem. Istud tamen silentio praeterire non possum, eum in adnotandis omnibus cujuscumque generis memorabilibus eventibus, qui vel eum ipsum, aut illos, quibuscum vixit, quoquo modo tangebant, accuratum ac indefessum fuisse. Inde ab anno 1818, quum cathedram Studii biblici Novi Testamenti hic Goritiae conscendisset, scribebat suum: *MEMORIALE pro Seminario centrali Goritiae*, ita nimirum ipse libellum inscripserat, huicque titulo infra adhuc adposuit observationem: *Bitter-süsse Mandeln*. In isto libello vero modo latine, modo germanice facta notatu digniora exponebat. Ut aliquid de his ipsius adnotatis cum lectoribus meis communicem, ex penultima pagina sequentia subnecto:
 „1861. die 18. Junii feria tertia P. T. Jacobus
 „Stibiel professor historiae ecclesiasticae atque juris ecclesiastici Austriae mane ultimam praelectionem fecit, infirmus a D.re Gentili sanitati resti-

„tutus die 20. Junii optime valens, post meridiem
 „hora 3. lapsus apud latrinam fronte dextra vul-
 „neratus obiit. Die 21. Junii Archiepiscopus D.ri
 „Hrast hucusque theologiam fundamentalem tra-
 „ctanti commisit cathedram historiae ecclesiasticae
 „simul et juris ecclesiastici Austriae; Fundamen-
 „talis theologia vero tradebatur D.ri Aloysio Zorn,
 „oeconomo Seminarii. Porro die 22. Junii, Sabbato
 „hora 7. mane Stibiel de habitatione in ecclesiam
 „S. Ignatii transportatus, et post Missam et Re-
 „quiem non in Deposito coemeterii collocatus est,
 „sed statim contra legem in sepulchrum demissus
 „terra obrutus.“

Alius libellus, vel verius, fasciculus, continet
Scholastica Seminarii Goritiae ab anno 1818-9
usque ad 1861-2 annum, ita enim titulus ejus
 sonat, addito: *Reglement für die Theologie*; con-
 tinet videlicet breviter notata omnia, quae circa
 scholas theologicas, disciplinas in theologia docen-
 das, professorum constitutionem etc. etc. partim a
 potestate civili, partim ab Episcopis disposita et
 mandata sunt.

E tempore, quo ipse Consiliarius Consistorialis nominatus fuit, scripsit *Consistorialia*, proprium scilicet libellum, adnotationes vere singulares continentem. Etiam ex isto, e pag. 1. et 2., aliquid hic adponimus ad verbum, sicut ipse scripserat: „Factum est autem, cum Canonicorum Consistoria vacillarent, ut Andreas Archiepiscopus Princeps ac Metropolita bilancem Consistorii a rubris ac nigris Consiliariis consarcinaret. Elegit ergo „RR. DD. Caffou, Stibiel, et Crobath effectivos „Consistorii Consiliarios decretis 3. fl. taxatis sub „25. Octobris 1855. — Cum autem duo menses „anni 1855. postremi pertransissent, commotione

„animorum aemulorum sedata, facta est tranquil-
 „litas, et Metropolita invitavit 2. Januarii 1856.
 „Consiliarios nigros, ut effectivi bilancem Consi-
 „storialem tertia Januarii conscenderent. Porro no-
 „mina Consist. Consiliariorum (rubrorum) compa-
 „rere solitorum, sunt: Codelli et Moseitzh, Urdich
 „et Filley, nec non Buzik, ergo quinque, duos
 „alios domi senecta detinet. Nigri Consilarii duo
 „sunt, Caffou atque Crobath, dum Stibiel honores
 „rubri, *valores* vero nigri participat etc.“

Praeter haec omnia exstat adhuc liber ejus
 diurnus pluries jam supra laudatus, sive epheme-
 ridion, ut ipse aliquando illum vocat, incipiens a
 die 23. Decembris 1825, et continuatus usque in
 finem anni 1876, in quo paucissimis verbis omnia
 et singula adnotabat, aut saepe unico verbo vel
 signo sibi tantum noto indicabat, quae diebus sin-
 gulis eveniebant. Exempli gratia ponimus hic, quae
 anno 1865. initio Novembris adnotavit:

„J. M. J. 1865. Novembris *Aō* Gorit. XLVIII.
 Pension. 4.

„1. Mi. Omn. Sanct. *εδιτσω 7 σ...νεπτ Ιωχ. β γ. βντ...*
μληκαρξ: str. + 2. s.

„2. Do. Omn. Fid. Def. Missa sol. ad s. Ign. 10
 h. m. finis h. 11... ap. s. Ant. etc.

Aliud simile ex anno 1870:

„9. Aprilis. Für den Quadragesimal *α. γ.* dem
Μαθαιω.

„10. *Γριπα δριβιλις με* quadriduo *εξερκνιτ.*

„12. 51. M. schw. Wein b. Faifar genommen (50
 Sol. d. Führer geg.) Melioratio *καθαρον.*

„13. Exemplaris Franc̄nor. cras mihi data hospi-
 talitas. Praeparatio ad Conf. cras fac. Immi-
 nutio Gripae.

„14. Coena Dni. mane h. 7¼ in Cast. ad Conf.

h. 7³/₄ Missam h. 9-10. c. Com. et Proc. prand.
Reditus. etc. etc.

Atque isto modo ab initio usque ad finem procedit, in quibus quaedam manifesta sunt, alia aenigmatica, quae ut dixi, ipse tantum intelligere poterat, nobis vero abscondita sunt et remanebunt.

Quam fuerit diligens et accuratus, imprimis in sic dictis officiosis, ostendit etiam factum sequens: Defunctus Archiepiscopus Franciscus Xaverio Luschin, litteris circularibus ad Professores Theologiae et ad Parochos dioeceseos die 10. Julii 1844. datis sub N. 879. provocavit eos, ut scripto Eidem sententiam suam aperirent, quid facto opus sit, ut junior clerus dioeceseos studium non negligat, sed semper etiam in cura animarum constitutus in scientiis imprimis theologicis progrediat. Josephus Crobath ad positam quaestionem modo suo respondit, die 16. Octobris ejusdem anni 1844. atque in scheda, quam domi retinuit, adnotavit: „*Elfmal* überschaut, und dann nach 3. Nov. 1844. „angefangen abzuschreiben.“

Quod Josephus Crobath linguam francogallicam noverit, jam diximus in superioribus. Frequentaverat enim scholas tempore dominationis Francogallorum, quando in scholis docebatur principaliter lingua Francogallica. Hujus rei memoriam renovat fasciculus inter ejus varia scripta conservatus, cui ipse Crobath titulum inscripserat: *Des annotations de la langue française écrites par Joseph Crobath étudiant de la 3ième classe au collège de Laybac la capital de provinces Illyriennes l'an mil huit cent once.* — Exstant porro duo fasciculi alii, quorum prior inscribitur: *Claudius Joli Bischofs in Frankreich I. Predigt über's Jubilaeum, in's Deutsche übersetzt. Görz im Juny des Jubeljahres 1826,*

atque in fine adnotaverat: *J. C. beendigte die Übersetzung am 15. Junii 1826 in Görz.* Alter vero fasciculus inscribitur: *Claudius Joli Bischofs in Frankreich II. Predigt über 's Jubilaeum in 's Deutsche übersetzt,* atque sub finem adnotatur: *J. C. beendigte die Übersetzung am 21. Junii 1826. in Görz.*

Qui propriam, aut secus fixam habitationem habet, liber a multis molestiis est imprimis ubi, sicuti in urbibus frequentioribus, habitationum domini saepius mutantur, imo et aliae adhuc causae saepe occurrunt, propter quas habitatio commoda et adamata relinqui, atque alia necessario quarendam est. Si hoc molestum est et esse debet cuicumque homini, molestissimum esse debet homini, qui remotus ab externis mundi negotiis et occupationibus Deo tantum et suo officio, alios docendi, vivit, internae magis deditus est vitae, quam publicae et variis distractionibus obnoxiae. Hoc enim discrimen invenio maximum inter Fel. Antonium Caffou, et inter Josephum Fridericum Crobath, qui ambo mei quondam fuerunt Professores, aetate sibi ferme aequales, ut ex praemissis elucet, et ambo quoque ferme eodem tempore mortui sunt: ut prior, videlicet Felix Antonius Caffou totus fuerit ad extra, si ita dicere possim, effusus, exterioribus negotiis et occupationibus deditus, atque multum expertus fuerit in omnibus, quae externam, socialem vitam respiciunt, ita tamen, ut pietatem singularem ei non abnegemus; posterior vero, Josephus Fridericus Crobath ad externa negotia vitae, utpote in illis minus exercitatus, minus aptus, eo plus in Deo et ad internam pietatem recollecto fuerit animo. Ideo, ut dicere coepi, omnis mutatio habitationis eum non parum distrahebat et molestiam causabat non

modicam. Quum enim inde ab anno 1818. usque ad initium currentis anni 1877 Goritiae vixit, quinquaginta nimirum octo annis et aliquot mensibus, non semel vel bis, sed saepius mutare coactus erat habitationem. Quantum colligi potest e documentis scriptis, quae post ejus obitum in meas manus devoluta sunt, habitabat ab anno 1821 usque ad totum annum 1826, itaque sex annis integris in domo Isabellae Thurn-Attems solvens annum censum quinquaginta florenorum pro habitatione, pro quo hisce temporibus praesentibus 200 fl. et ultra postulatur! Ex ista vero abire coactus habitatione, sequentibus tribus annis 1827, 1828 et 1829 in domo Pasconi fuit, ubi majorem et commodiorem quum haberet habitationem, centum decem quotannis florenos solvere tenebatur. A primo tandem die Decembris 1829 usque ad 1837 inclusive in domo baronis Andriani habitans octoginta florenus annuatim solvebat. Haec, ut dixi, manifesta sunt ex apochis (Quittungen) quae inter scripta ejusdem relicta inveniuntur. Ubi habitaverit annis 1818, 1819 et 1820, aegre determinare possem. Nam post annum 1837 ubi habitaverit, e dicto ejus ephemeridio cognoscitur, nimirum: e domo Andriani egressus habitabat in domo de Reya inde 1. Augusti 1837, solvens annuos 80 fl. nec nisi anno 1846 in domo Joannis Bader in foro Traunik, 3. contignatione, habitare coepit erga annuos centum florenos, qui cum augerentur anno 1851 usque ad summam 120 fl., illa derelicta transmigravit in domum Tausani mense Septembri dicti anni. Anno 1862 ad breve tempus in domum Tunis transiit, sed mox pristinam apud Tausani repetiit habitationem, donec tandem 1. Augusti 1865 in domum Zuccato devenit, centum annuos flor. solu-

turus, in qua domo etiam extremum obiit diem.

Erant vero hi duo viri, Caffou et Crobath, ut plurimum semper consentientes, quasi Martham et Mariam repraesentantes, miro animorum affectu inter se colligati, nec facile evenire poterat, ut in scholasticis negotiis aut extrascholaribus diverse sentirent. Nemo etiam, in primis ultimis annis, quum Crobath corporis viribus jam multum deficientibus rarius vel omnino e domo non exiret, eum frequentius visitabat et solabatur quam Caffou, quod Crobath grato animo agnoscebat, et aliquoties mihi eum propterea laudabat. Missarum quoque stipendia, quamdiu adhuc ecclesiam adire poterat et sacrificium Missae offerebat, ultimis temporibus Caffou eidem procurabat. — Vir tam bonus et pius etiam opera charitatis et misericordiae exercuit absque dubio, attamen sequens monitum Christi: „Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua“ (Matth. VI, 3.), in diario suo de his altum observat silentium; unicum hoc adnotatum invenio, centum florenorum summam ab eo collatam fuisse, quando agebatur de Seminario puerorum Goritiae erigendo.

Uti plus minusve omnes aetate magis provecti, Crobath quoad vestes parum curabat novos vestiendi modos, in clero recentiori aevo invectos. Calceos et tibialia nigra semper gestabat, ocreas rarissime et tantum necessitate cogente. Quum haberet omnes capillos capitis, etsi aetate dealbatos, ideo etiam tonsuram suam clericalem magnam, presbyteris convenientem, semper gestabat, nec unquam illam neglexit.

Verum tempus est, ut finem imponam sermone. Bonus seniculus Crobath semper serena et hilaro facie ingrediens, in conversatione inter suos

aequales et collegas etiam lepidus, mihi sicut omnibus, qui eum cognoverunt, in chara remanebit memoria. Dicebatur olim quidem in examinibus tum collegialibus tum finalibus, nec non, quae instituebantur pro concursu parochiali (erat enim ipse quoque omni tempore Examinator Prosynodalis) valde rigidus; ast istud aequaliter etiam de reliquis ejus collegis dici potest. Erant tunc alii homines, alia adjuncta, aliae circumstantiae, quae omnia exacte expendenda veniunt, si quis circa quaestionem istam justum ferre velit judicium. Intentionem semper optimam eum habuisse, tota vitae ejus series abunde demonstrat, si etiam quis pertinaciter asserere vellet, eum manifeste aliquando errasse. Ipse ergo sic, ut diximus atque hic expositum est, vitam instituendo, in fine longaevae vitae suae cum Paulo dicere poterat: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi* (2. Tim. IV, 7.). Utinam ego, et omnes, qui haecce verba legunt vel legent, in vitae nostrae fine haec eadem verba repetere possimus! Amen.

43986

**Errata corrige:**

Pag. 70. lin. 6. lege *Utini*.
 „ 86. „ 10. „ *Xaverius*.





